NAZ.
ele III
I. J

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
D
22
NAPOLI

Digitized by Google

Nhill.
C.
22.

Digitized by Google

EXERCITATIONES MORALES, ET DE MOTU CORPORUM MINIMORUM.

FRANCISCI JOVINI
OCTAJANENSIS,
Philoſophię, & Geometrię Profeſſoris, Accademici Utinenſis, & Eccleſię Collegiatę S. Michaëlis Archangeli de Octajano Primicerii.

NEAPOLI MDCCXIII.
Typis Michaëlis Aloyſii Mutio.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google



Illuſtriſs.mo & Excellentiſs.mo Viro

JOSEPHO DE MEDICI

Ex AEtruria, Principi de Octajano cum honore Magnatis Hiſpaniarum, Duci Civitatis Sarni.

ILluſtrat currentis AEvi periódum ſapientiſſimi animi tui generoſa indolés, Excellentiſſime Princeps, adeò ut nullus hominum adſit, qui te

muneribus magnis ſubeundis feliciſſimum, prudentia, & ingenio celeberrimum, rebus conſulendis difficillimis temporibus aptiſſimum, ac denique immortalitate dignum non miretur. Senſit hoc primum Inclyta hęc Parthenopes, cum tibi jam ad regimen gubernacula darentur, quod munus miro omnium ordinum conſenſu, miro totius populi plauſu, publicæ tranquillitatis ſtrenuus Author, integerrimo animo abſolviſti. Senſit, & quiſquis te de rei privatę, vel publicæ bono monitis, & conſilio ſupra hominum mentem differentem audit; nil ergo mirum ſi Reges ſepiùs te unum ad ampliſſima munia exercenda ſeligere in animo habuerint; hinc etiam nil mirum eſt ſi nati tui

tan-

tanti Parentis præclara iſthæc eximiæ virtutis exempla laudabili æmulatione imitati, ubique Terrarum ære ſculpta, immortalitati donata poſteris admiranda; tum ingenii tum nobilitatis; præſtantiſſimorumque Miniſteriorum, potiſſimum verò bellicæ virtutis inſignia reliquerunt. Quid verò de majoribus tuis dicam! non ne univerſo orbi, Summos Pontifices Atavos tuos, Purpuratoſque Heroes, te habuiſſe palàm eſt. Atque dum pariter excelſam animi indolem Excellentiſſimi Joſephi nepotis miror, ac veneror, Medicea familia jugi Heroum ſucceſſione, ut ſemper in Orbe promineat, Deum Optimum maximum enixe precor.

Excell. V.

Humillimus, & addictiſ. Cliens
Franciſcus Prim. Jovinus

EMINENTISSIMO SIGNORE.

Michele Luigi Muzio Padrone di Stampa in queſta Fedeliſſ.ma Città ſupplicando eſpone à V. E. come deſidera ſtampare un' Operetta intitolata *Exercitationes Morales, & de Motu Corporum Minimorum Auctore Franciſco Iovino*, ſupplica perciò V. E. degnarſi commetterla alla ſolita reviſione, che l'havrà à grazia ut Deus.

R. P. Franciſcus釋Paternò Soc. Jeſu revideat, & referat. Neap. 24. Julii 1712.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISS. DOMINE.

PErlegi juſſu Em. Veſtræ Librum, cui Titulus, *Exercitationes Morales, & de Motu Corporum Minimorum Authore Franciſco Iovino*, & non modo nihil in eo inveni quod Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur, ſed omnia ita ad Pietatem, ad Eruditionem facta conſpexi, ut jure merito Typis mandari poſſe cenſeam, ſi ita videbitur &c.
Neap. die 6. Aug. 1712.

Em. Veſtræ

Humill. & Addictiſs. Servus.
Franciſcus Paternò Soc. Jeſu.

Attenta ſupradicta relatione Imprimatur.
Neap. 8. Aug. 1712.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

Ec-

Eccellentiſſimo Signore.

MIchele Luigi Muzio padrone di Stampa in queſta Fedeliſſima Città ſupplicando eſpone à V. E. come deſidera ſtampare un'Operetta intitolata *Exercitationes Morales, & de Motu Corporum Minimorum, Auctore Franciſco Iovino*, ſupplica per tanto V. E. reſtar ſervita commetterla alla ſolita reviſione, che l'haverà à gratia ut Deus.

Mag. V. I. D. Gaſpar Paragallo videat, & in ſcriptis referat

GAETA R. GUERRERO R. ARGENTO R.
Proviſum per S. E. Neap. 8. Julii 1712.
Croſtaroſa.

Ill. Dux S. Nicolai non interfuit.

Excellentiſſime Domine.

LEgi Librum cui titulus *Exercitationes Morales, & de Motu Corporum Minimorum Auctore D. Franciſco Iovino*, & in eo non ſolum nihil offendi contrarium bonis moribus, & regali Iuriſdictioni: Sed & optimis exquiſitiſque rationibus Doctiſſimus Auctor homines ad æternæ vitæ gaudium ſibi comparandum inſtruit, ſolidiſque principiis ideam motus corporum minimorum exhibet; quin proinde nobiliſſimum opus, ut Typis mandetur omnino cenſeo Neap. die 28. menſis Iulii 1712.

Excell. Tuę

Addictiſſimus Famulus.
Gaſpar Paragallus.

Viſa ſupradicta relatione Imprimatur, verum ante publicationem ſervetur Regia Pragmatica.

GAETA R. ARGENTO R.
Proviſum per S.E. Neap. 8. Auguſti 1712.
Croſtaroſa.

Cęteri Ill. & Spectabiles Reg. Imped.

AD

AD LECTOREM.

IAmdudum à Philoſophiæ, & Geometriæ ſtudio ad Eccleſiaſticas elucubrationes à Sãctiſſimo Domino Noſtro Clemente XI. Pontifice Maximo, poſt mihi benignè elargitam beneficentiam, animum revocare juſſus, Morales exercitationes primùm de homine, & circa hominem conſcripſi, quarum preſentes in lucem edere cenſui, his adnectens argumentum operis de Motu corporum minimorum Venetiis jam Typis mandatum, nunc verò ab nonnullis eruditis denuò expetitum.

EXER-

Digitized by Google



EXERCITATIO PRIMA.

DE HOMINE.

I.

Hominum ſollicitudo tum in civilibus ; cum in moralibus ab his , quæ magni ſunt momenti, ad ea quæ nihil interſunt, ſæpiùs traducitur , & quare ?

II.

Hominis naturæ explicatio non ab Scholaſticis petita .

III.

Hominum ſollicitudo contraria legi , qua Deus illis animam indidit ob corruptum ratiocinium .

IV.

Homines exprobrari ab inſenſibilibus creaturis,

quæ à lege Dei illis conſtabilita non deflectunt.

V.

Exprobrari à natura, quæ rebus procreandis conſulit illarum conſervationi, & id quomodo, & quare?

V I.

Hominum ratiocinii uſus, ut eorum æternæ ſaluti conſulant.

QUidnam cauſſę eſſe putemus, quod rebus agendis, tum verò in iis potiſſimum, quibus grave aliquod negotium impendet, hominum plerumque ſollicitudo ab his, quæ magni ſunt momenti, ad ea quę nihil, vel certè parum interſunt ſæpiùs traducatur! an quia homines ità imbecilli natura ſe comparatos arbitrentur, ut rebus arduis ſuſcipiendis, tractandiſque ſe minus ingenio, & viribus valere exiſtiment! An verò quià illorum mens omnis prudentiæ, & conſilii præſidio deſtituta, hæſitans, cæco potiùs quodam ductu ſe nogotiis implicet!

vel

vel dum inconſideratè, ac temerè agentium fortuitos quoſdam eventus feliciter ceſſiſſe vident, hoc idem illis contingere confidunt! nil talium: Seriò autem cogitantibus in promptu planè ratio occurret, ſi eam eſſe rerum humanarum conditionem perſpexerimus, quod facilè quid in unaquaque re ſit agendum, ipſiuſmet rei, vel natura, vel ratione poſthabita, cęterorum exempla ſequimur. Invaluit ſiquidem mos, vel conſuetudo in civili hominum ſocietate, ea quandoque appetendi, ad quæ, non natura, vel ratione, ſed communi quodam uſu ducimur. Quotuſquiſque enim eſt in honoribus conſtitutus, qui pro gradu, & præſtantia ſuæ dignitatis non pro viribus pompam oſtentare conetur, vel majorum ſuorum, aut ſibi in eodem gradu ęqualium exempla imitaturus; an verò etiam vereamur dicere longam illi fuiſſe meditationem dimetiendis fortunis ſuis, utrumne poſſet exteriori pompæ ſatisfacere potiùs, quam vires metiendi, ac ſufficientiam pro ſuo munere benè ſubeundo? Quod autem civilibus hominum negotiis accidere comperimus, hoc identidem in moralibus evenire videmus, diſpari aliquantulum ratione; quod in illis rei natura poſthabita aliorum exempla ſequimur, & ad ſimi-

litudinem operamur , in iſtis verò non rei alterius , ſed ipſiuſmet naturæ noſtræ conditione, ac præſtantia neglecta ad ea, ad quæ cupiditate , vel etiam aliorum imitatione, interdùm verò uſu ducimur, properamus; hinc fit, quod ſolliciti illis rebus operam damus, quæ nihil, vel parum interſunt, neglectis iis , quę naturæ noſtræ præſtantia, æternæ ſaluti edita, exigeret . Hic ſeriò occupatus diù , noctuque aſſiduè meditatur longinquam inſtituere peregrinationem, remotiſſimas Terrarum Regiones cauſa viſendi; Stimulos illi curioſitas admovet, ut omne tempus præparandis ſibi neceſſariis conſumat. Non illi difficultates itineris , Cœli intemperies, rigidiſsimæ anni tempeſtates , non fluminum , mariumque periculoſi trajectus , non montium inacceſsibilium penè arduæ vię, non denique vitę tormenta, quibus exponitur, impedimento ſunt, quominùs, ubi omnia in promptu erunt, itineri ſe committat; Intereà dum domi ſuæ illecebris emollitus domeſticis hæret, breviſsimum equè, ac facile ad Templum uſque iter, vel peragere non cogitat, vel minimo , ac levi quoque impedimento differtur. Illum patrimonii ſui cauſa augendi impatientem fortunarum incrementum inducit noctes vigilare ſerenas in

co-

gitando, qua induſtria, quave utiliori negotiationi id aſſequi valeat. Rura colenda ſumma vigilantia curat, pecuniam præbet ad uſuram, ut ſibi redditus annui multiplicentur. Terram deindè quaſi ſterilem, vel explendæ ſiti de auro cumulando minimè ſufficientem, reſpiciens, longinquam vel inſtituit, vel inſtituendam aliis committit navigationem, ut merces, & cætera venalia ſpe lucri ad ultima Terrarum confinia tranſvehantur, ubi verò illi de felici navium appulſu nuntiatum fuerit liberale impendium in nuntios erogat; miſerrimo autem alicui laborioſa ægeſtate laboranti, minimumque quid petenti, præbere recuſat. Hunc aura ambitionis inflatum, gravi ſupercilio tumentem penes eum, à quo beneficium expectat, vel exoptat, humilem reſpicies, officioſum, obſequio ſubmiſſum, caput identidem aperientem, inclinantem ſe ſe, reverenter ſalutantem, nullum tandem humilitatis argumentum prætereuntem: Si hic idem Templum ingrediatur vix genuflectit. Ille alius loquax, ac verboſus, à primo mane inceſſanter non modo, ſed inutiliter diſſerens, inani ſermone ſępè cæteros faſtidiens; ſi ſacra oratione recitanda occupetur, tædio affectus deſiſtit. Hunc aſ-

ſidua

ſidua voluminum lectio tenet occupatum, inſomnibus tranſigendis noctibus pallore ſuffuſum, reddit, Hiſtoriæ curioſus, philoſophiæ cupidus, ſi illi ſacra Sanctorum hiſtoria ob oculos ponatur, vix illos admovet. Hic familiariſſimè conſocio utitur, fidenter agit cum illo, arcana pectoris ſui incunctanter, ac liberè promit, eò quod ab omni diſſimulatione ſocietatis leges abhorreant: eadem illa in Tribunali pœnitentiæ promere, ac proferre illi verecundiæ eſt. Ille ut primo mane familiarem conveniat, quod diem venationi conſumendam decreviſſent, ſervos, ancillaſque admonet, ut quota ſit conſtabilita ora evigiletur; Si Sacrum ſit audiendum, vult illi inaſſueta vacare ora. Memoria feliciter ille alius tenet, quidquid per frequentia Urbis loca properans auſcultavit, quidquid Belli rumor attulit geſta non modo, ſed & circumſtantias tam bene recordatur, ut ad verbum recitare aliis poſſit; Sacram, quam audivit concionem ſtatim oblitus eſt. His igitur, atque innumeris aliis curis, quandoque moleſtiſſimis, atque ad leviſsimá intentis, inanibuſque captandis aſſentationibus ſolliciti homines iis, quæ ſolidiora ſunt, quæque æternæ eorum ſaluti prodeſſent, cui dumtaxat præſtans il-

lo-

lorum natura mundo edita eſt, neglectis miſerrimè jactantur. Quod ſi rebus humanis conſiderandis, tractandiſque benè noverint homines; quid ſupra illarum conditionem poſsideant, quid illis immortale, æternumque poſt breve hoc, incertumque vitæ ſpatium ſuperſit; de terrenarum vero rerum fragilitate cæteroquin in dies experientia edocti, procul dubio ab his quæ parvi ſunt momenti, ad ea, quæ æternùm duratura erunt, ſollicitudines, animumque averterent. Quapropter aperienda nobis hominum natura hìc eſt, ut ii quales ſint ſeriò noſcentes, quidve eorum naturæ præſtantia exigat ſedulò intelligentes in optimam, veramque vitæ inſtitutionem flectant. Neque verò in hoc peragendo aliorum morem ſequimur, nempè Scholaſticorum, qui finiendo homine complexum quendam in illo formalitatum adſtruunt, aut virtualitatum, ediſſerendo poſtmodum utrũne iſtæ ratione, an verò re diſtinguantur, quæ quidem acuendæ hominum menti proba ſunt, ſed ad rem noſtram minimè pertinentia.

II. Hominem igitur univerſi partem nobiliſsimam, figura primùm ità comparatum, non quemadmodum cætera Animantia, quæ prona ipſi Terræ inſiſtunt,

quod

quod non niſi terrena compage coaleſcant, ſed recta ad Cœlum porrecta, quod cœleſte quoddam in ejus compoſitione ingrediatur : natura verò ex anima, & corpore complexum eſſe conſtat. Anima à Deo omnipotenti, ſummoque rerum Opifice immediatè trahit originem ſuam, totum quidquid eſt ab illo habet, non quemadmodum cæterę irrationales creaturæ, quæ mundo ſunt ornamento editę, creata, ſed ut ſit ipſiuſmet Dei Omnipotentis, infinitæ ejuſque Sapientiæ viva quędam reprę ſentatio. Natura illius ſubſtantia eſt inviſibilis, ſpiritualis, immortalis, non Terrenis ſubiecta caducitatibus, adferens unà ſecum ſummi Creatoris imaginem, æternùm victura. Finis in cujus gratiam condita, ut Deum æternè glorificet. Si pretium illius attendamus inextimabile prorſus eſt, quod paſsione, atque Sanguine pretioſiſsimo Chriſti Domini redempta eſt, ut fieret novi mundi nova creatura ejus, qui unà ſimul Creator, ac Redemptor exiſtit. Igitur Dei opus, Dei imago, ut Deum amore proſequatur, ac glorificet, pretium paſsionis Chriſti anima hominis eſt, quid ergo poteſt excogitari, vel eſſe ſua natura nobiliùs, ſubſtantia illius prę ſtantiùs, pretio ejus pretioſiùs, atque

etiam ſuo fine glorioſiùs? Munia ejus ſi attendamus univerſa, ſupra corporearum rerum naturam ſunt, quemadmodum intelligere, velle, meditari, imaginari, noſcere, ratiocinari, quid quid demum in anima eſt id undequaque inſpectum, ſupra rerum Terrenarum ſortem evectum, ipſique ſoli Deo, quam ſimillimum exiſtit. Corpus autem non ſecùs, ac cæteræ res materiales ab naturali generatione trahit originem ſuam, totum quod eſt terrena ſorde fœdatum, natura mortale, fragile, corruptibile, Terrenis omnibus caducitatibus, malis, morbiſque propemodum innumeris obnoxium, expoſitumque, momento periturum. Animam igitur hiſce donis præter omnium rerum ſortem cumulatam, præditamque Deus hominibus indidit tamquam pretioſum quoddam donum, omni conatu cuſtodiendum, atque ſervandum ſecundum Legis Dei præcepta, quod aliquando etiam vult à nobis repetere, quemadmodum, omnis cura deberet eſſe illi, qui à Principe donum aliquandò repetituro ſervandum acceperit. Corpus verò dedit tamquam ſervile, ut ipſi animæ, ſeù meliùs rationi illius inſerviret.

III. Videamus modò rurſus quantum hominum ſollicitudo eorum naturæ præ-

ſtantiam negligentium ab hac lege Dei aberret. Primùm quidem homines viliſſimum corporis pretium inextimabili pretio animæ præferentes illud cuſtodiunt, ſervantque, hanc deſtituunt, de hac parum curant, de illo ſolliciti ſunt, ut figuram ejus venuſtate, & lepore condecorent, cœleſtem animæ pulchritudinem non ſervare non modo, ſed pravis moribus conſpurcare audent. Corporis nobilitatem, vel illi ex proſapia deſcendentem, vel quovis modo partam non cuſtodire ſolum, ſed augere novis ſtudent conatibus, eminentem animæ præſtantiam vilibus cogitationibus deturpare non verentur. Pro valetudine corporis tuenda ex ultimo Terrarum confinio remedia petuntur; pro animæ ſalute reparanda, propter peccatum jam periclitante vix illis curæ eſt. Corpus, ut induant, ut ab aeris intemperie defendant, quot quot vides artifices vigilant; animam ut tueantur ab occaſionibus peccandi nullum, aut nullius efficaciæ ſtudium eſt. Pro corpore nutriendo, non tam temporis, quam cujuſque Patrimonij magna pars conſumitur. Anima verò cęleſte alimentum appetens inedię ſuæ relinquitur. Quid ultrò, naturam ipſam homines in uſum, & commoditatem corporis ſollici-

tant

tant. Si corpus, ut verè ſolum anima eſt, imago Dei eſſet, redemptumque Sanguine Chriſti, dignum profectò videretur, ut illi cuſtodiendo tot curæ ac ſollicitudines impenderentur. Qui igitur ità illi ſervit, indulgetque, animam verò deſtituit, qui rei materialis, & brevi periture, ſervandæ tantò ſollicitus eſt, is non modo naturæ ſuæ præſtantiam, ac munia poſthabita, & neglecta habet, ſed illi ratiocinium corruptum eſt. Quamobrem inter alia dona, quibus voluit Deus animam preditam facere, eminentem locum habet ratiocinium. Poteſt quidem intellectus quamplura coacervatim noſcere, poteſt omnia velle voluntas, poteſt omnia memoria recordari, ratiocinii autem eſt ſegregare, ac diſcernere. Sunt enim in mundo vera miſta falſis, mala mixta bonis, dedit autem Deus ratiocinium, quo illa diſcernerentur, quidve ſibi expediens eſt quiſque amplexaretur: quoniam verò res ſunt ambagibus admodum implicatę, tunc juvari poteſt ratiocinium, vel alieno lumine, vel experientia ad operandum, atque ſecernendum: nunc Deus homines admonuit pretium corporis non præferendum animæ pretio, accedit hic etiam experientia, qua videmus corpus perire, eſſe fragile; animam

verò ſupereſſe in æternum, hanc dignam eſſe hominum ſollicitudinibus, adhuc tamen contrariò operamur, quidni vereamur dicere maximè corruptum eſſe ratiocinium. Quemadmodum pueri, quibus nullum eſt de rebus judicium, nullus ratiocinii uſus, rerum pretia minimè diſcernentes, ſi quis illis gemmam proponat, alter verò malum, hoc geſtientes excipiunt, illam reſpuunt, non enim, quæ ſibi expediant, ſed quę ſenſus alliciant appetentes. Hinc puerilis ætas rerum gnara diſcriminum in omnes vitæ errores, quos ſanum, firmumque ratiocinium evitaret cęco quodam ductu illabitur.

IV. Divina omnipotentia ſimul ac Mundum condidit, ità etiam univerſitatem rerum providenter diſpoſuit, ut creaturis etiam inſenſibilibus, quibus operarentur leges imponeret: *Quandò circumdabat mari terminum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos*: & alibi in Sacris literis habetur, & ait: *Germinet terram herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum juxtà genus ſuum*, hæ modo creaturæ fideliter, ac probè hanc Dei legem adimpleverunt. Quamobrem nunquam germinandis herbis, arboribus, ac vegetabilium generibus Terra deſtitit, lignaque pomifera fecerunt fructum ſuum, totuſque

Prover. 8. 29.

Geneſ. 1. 11.

que

que inſenſibilium creaturarum complexus ab ſuo operandi principio nuſquam aberravit. Primùm Sol nunquam peragere curſum ſuum ceſſavit, nunquam non diei præeſſe finivit, quemadmodum Luna nocti: ſtates ſibi invicem fideliter, ac ſucceſſivè conſecutæ ſunt: flumina itidem nunquam verſus locum ſuum fluere ſunt prætergreſſa. Homines igitur his omnibus creaturis, cœleſtibus donis abundè cumulati, ſupereminentes in hac eadem univerſitate rerum vagantes, quavis hora harum creaturarum erga Deum fidelitatem reſpicientes, ſinunt ab illis infidelitate erga Deum exprobrari, ab lege ipſis conſtabilita flectendo, nec illos pudet. Dedecori eſt aliquam artem profitenti, non illam juxta regulas, ac principia tractare, nec bonus artifex is cenſendus eſt, qui elaborandis operibus à norma deſciſcit. Majus tamen dedecus eſſet in arte peritiſſimo, ſi hic exprobrari ſibi errores artis ab eo pateretur, qui prima in illa arte rudimenta poſuerit, eò quod ille eminens cenſetur in notione artis, hic autem rudis, & indiſertus, eodem modo maximum hominibus dedecus eſt, quod ſinant exprobrari ſibi vitæ errores ab rudibus, ſeù inſenſibilibus creaturis, quod illi cognitione ſint ad Dei legem noſcen-

dam

dam præditi ; illæ autem omnis prorſus cognoſcendi facultatis expertes ſint.

V. Ipſamet naturæ opera, quæ in hac rerum univerſitate, identidem noſtros ob oculos occurrunt, hominum neglectum de anima æternùm victura conſervanda exprobrant: ſiquidem illa continuò non modò progignendis rebus, quàm illis conſervandis laborat, nam, quæ ex omni parte materialia ſunt, & omni parte quoque interitui obnoxia ſunt, corporearum nempè rerum conditio hæc eſt, quod cum undequaque ſorde terrena coaleſcant, ſemel ac ſoluta fuerit illarum compages nihil ejus, quod erat ſupereſt: huic malo occurrendo ſtudet natura reparandis jacturis res, rerumque ſemina progignendo, ut dum unum perit ſuperſit renaſcendi principium, ut ità ejus rei, quæ perpetuò non eſt duratura, perpetuitatis quædam ſpecies conſervaretur: homo interim cui anima non peritura eſt, ſed immortalis, eam conſervare non modò non ſtudet, ſed malis moribus, peccaminoſis corrumpere inquinamentis eſt ſollicitus. Dignus, qui exprobretur: natura enim quod non duraturum eſt vult conſervare, hic quod æternum duraturum eſt vult perdere.

VI. Quemadmodum artifex, qui in arte

arte peccat, atque in errores magni momenti prolabitur, ſi velit is in ea arte proficere erroreſque emendare, rurſus ad artis principia, ac regulas revocandus eſt, ut nova illi, & perfectior methodus operandi eſſe poſſit, eodem modo homines, qui in hos vitæ graviſſimos errores prolabuntur, ab lege Dei flectendo, ut eos emendare valeant, ac in ea lege proficere, quę illis conſtabilita eſt, ad eorum naturæ principia revocandi erunt, ut exindè probum vivendi uſum decerpant. Quoniam verò hominum principia varia ſunt, nempè ea, quibus conſtituuntur, quibus operantur alia; cum non omnium ad pręſens hìc notio opportuna videatur, revocabimus illos tantum ad operandi principia, inter quę maximum, ac primum tenet locum ratiocinium: quamobrem hoc dumtaxat à cæteris animantibus operando diſtinguimur, & idem quoque inter homines ipſos diſcrimen facit. Tria autem principaliora ſeligimus, circa quæ ratiocinio verſabimur, ſcilicèt notionem ſui, monita, ſivè leges Dei, experientiam rerum terrenarum. Quantum ad primum quiſque noverit, ſe anima, & corpore complexum, horum autem præcipuè ad benè operandum animæ notio exigitur. Siquidem

ubi

Jacob. 1. 24. *ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum*; hæc tamen ſui notio, ſivè conſideratio
Prover c. 19. 2. non levis eſſe debet: quemadmodum ille, qui *conſideravit ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit*, ſed ſeria, & efficax: ubi ergo, tam corporis, quam animi perſpectam quis habuerit naturam, hoc modo ratiocinari fas erit: indubium eſt poſt interitum noſtrum animam ſupereſſe, quę cum non ſit de hoc mundo, aliò migrare debet, ergo non toti huic mundo nati ſumus, quare ergo toti de hoc mundo volumus eſſe, ſic enim cum brutis coinciderem us, quæ cum tota huic mundo nata ſint, tota ſunt de hoc mundo, quod indignum prorsùs homine foret; rurſus corpus quià huic mundo natum eſt, facis huic mundo ſervire, quare ergo non facis animam æternitati ſervire, quæ æternitati nata eſt. Corpus velis, nolis debet perire, anima in æternum vivere, quare ergo vis eſſe ſollicitus de re peritura conſervanda, non verò de æterna, & immortali: utraque parte compoſitus es, anima ſcilicèt, & corpore, illa nobilior, hoc ignobiliùs, illa æterna, hoc periturum, quare non vis eſſe de utraque ſollicitus, quare omnem operam in corporis commoditatem vis impendere, animam deſerere: membra tui corporis omnia ſunt,

bra-

brachium eſt ſaucium, crus infirmum, patieris uni mederi, alterum corrumpi, nequaquam, quare ergo patieris infirmo corpori mederi, infirmam animam deſtituere, cum utraque tui pars ſit! Ultrò quare corporis æternitati non conſulis, eo quod illud æternum non eſſe tibi conſtat, cum igitur tibi conſtet animam eſſe æternam, quare non illius æternitati conſulis! Præterea ſollicitus es de his omnibus, quæ debent poſt funus tuum ſupereſſe, nempè de bonis, filiis, conjuge, hæredibus, eo quod ſcias, & quidem non certò hæc omnia ſupereſſe, cum verò ſcias, & certò animam quoque ſupereſſe, & quidem in æternum poſt mortem tuam, quare non vis etiam illius bono conſulere! Quantum ad ſecundum monuit te Deus, tibique leges impoſuit, monuit amicus, & amicitiæ leges tibi impoſuit, monuit Parens, Præceptor: innumeras tibi etiam leges voluptates impoſuerunt, his omnibus libenter pares, quare non Deo! amici monitis pares, ne fortè amicitiæ leges offendiſſe videaris! quare Dei monitis non pares, timore illius indignationis! monuit te Parens vis ultrò obbedire, ut illius amore magis dignus efficiaris, quare non vis obbedire Deo, ut illius æterno amore dignus ſis!

Præceptoris monita ſervas, quod erudienti tibi debitum ſit ad obbediendum; quare non vis parere monitis Divinis de Cœleſti ſcientia te erudientibus! Rurſus graviſſimas, ac oneroſas leges tibi voluntariè impoſuiſti, Mundo, rebuſque Terrenis ſerviendo, & illis parere eniteris, quare ergo ſuaviſſimis Dei legibus obbedire recuſas! ait enim *jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Seriò nunc perpendè, quanto dignor Deus ſit, ut illi obbediamus, amicis, parentibus, magiſtris, rebuſque terrenis, quantò magis indignatio ejus timenda eſt, ſi ejus monita non ſervaverimus, quam indignatio amicorum, cæterorumque hominum! quid tibi amicus auferre poteſt: familiaritatem, ſolamen auferet, quod ſua natura vacuum, inane, ac periturum eſt, & quod rurſus, alter amicus dare poteſt, quid parentes, affines auferre vitæ oblectamenta, bona, commoditates: his omnibus orbatus adhuc vivere poteris, vel poſſunt etiam alii tibi elargiri, quidquid ergo auferent iſti, ab aliis potes repetere, auferent tandem quod aliquando amittere neceſse erat: verum monitis Dei non obbediendo, quid poteſt ipſe auferre, gratiam cœleſtem, amorem ſuum erga te, quanti ſunt hæc æſti-

æſtimanda: nulli rei Terrenæ comparari poſſunt: *ubi ſcilicèt ea, quæ Dei ſunt Mundi rationibus expendimus neceſsè eſt, ut fallamur,* Sanctiſ. homil. 10 29. Junii. perpende inſuper ſi Deus hæc auferet, à quonam alio repetere potes, quis alius poterit elargiri, nemo, ſine iſtis poterit ne anima tua in æternum vivere, nequaquam. Tanta igitur diſparitas eſt. Monet Deus, monet amicus, hic incertus, Deus infallibilis, peritura promittit amicus, immortalia Deus, ille quod aufert, alii poſſunt dare, quod Deus auferet, nemo dare poteſt, ille te orbare tantummodò poteſt oblectamento vitæ, Deus poteſt te in gehennam perdere in æternum, ad amico obbediendum, vana amicitiæ lege moveris, ad Deo parendum Divinę legis præcepto urgeris: vis ergo amico parere non Deo, quare! Quantum ad tertium, & ultimum: verſemur parumper circà Terrenarum rerum experientiam, deindè ratiocinemur. Primùm itaque videmus homines ſollicitos eſſe vanis rebus captandis, ut expleant deſideria ſua, quod nunquam tamen aſſequuntur, hunc ambitio nunquam quieta ſollicitat, hunc inſatiabilis tenet avaritia, hic divitias metuit, quas optaverat, hic laborat eodem ſuo voto, nemo, inquam, in ſtatione tranquilla collocatus

eſt, hujus rei rationem inquire: te experientia docebit, eo nempè quia hi omnes cum hominibus agunt, qui incerti ſunt, qui poſſunt ſpem noſtram fallere, circà res Terrenas verſantur, quæ ſua natura fugaces, vanæ, fragiles, momento periturę: Tantò igitur ſolliciti ſumus, ut verſemur inter incertos, ut poſſideamus incerta, quare potiùs non ſimus ſolliciti, ut certa, ac immortalia aſſequamur, quemadmodum cœleſtia ſunt, nulli fragilitati ſubiecta, quæque habent auctorem Deum ipſum certum, ac infallibilem, ſpemque noſtram minimè fallentem, quive poteſt omnia noſtra deſideria explere, mentecaptum certò haberes iter facturum, qui ab recto, tutoque itinere, ad incerta viarum deflecteret, non ſanę mentis mercatorem illum, qui mercibus emendis, viles, ac facilè perituras pretioſis anteponeret, non enim hos ſecundum rationem operari exiſtimabis. Præterea ubi amicus, vel alter conſocius ſemel te deceperit illum abhorres, deſtituis, & odio proſequeris, at experientia edocemur, in dies à Terrenis rebus decipi, volumus tamen nihilominus illis fortiùs hærere: hic magnificentius ędes extrui curabat, ac in meliorem vitæ commoditatem ornare in animo erat, ante-

quam

quam opus abſolveretur mortuus eſt, ac deceptus. Ille Pater familias majori natu Patrimonium augere ſtudebat, totus in eo ſollicitus, ut poſteritati conſuleret, inopinante illo natus ei ereptus fuit, & ſic deceptus: hic ambitioſus antequam ad dignitatis gradum perveniret febri conſumptus mortuus eſt. Hos ne ergo maximè deceptos non habes: quid etiam nos horum exemplo decipi à Mundo patiemur, ubi ſemel amicus nos proderit, ut dicebam, abhorremus, quis nam mortalium erit, qui amicum diligat proditorem, vel ſocium deceptorem blandiatur, non pariter ſanę mentis erit, nec ratiocinio utentis Mundum proditorem diligere, terrenaſque res nos decipientes blandiri, hæc modo paucula attigiſſe ſufficiat, quiſque enim ſe ipſo poterit per ſingula horum capita vagante diſparitatem videre, inter Deum, & Mundum, inter Cœleſtia, & Terrena, uniuſcuiuſque ſanę mentis erit ea quę ſibi expediunt ſequi, quæ mala ſunt abhorrere, hoc enim ratiocinantis eſt, & ſolo homine dignum, qui hac facultate præditus eſt. Si ergo volumus nos tales eſſe ac profiteri, quemadmodum decet, dum opportunitas ſeſe offert *ibi deſiderium noſtrum figamus, ubi quod offertur æternum eſt*. Mundi blandimenta, tanquam Sanctiſſ. homil. 6. in Dominic. Reſurr.

Homil. 3. in Dominic. Reſurr.

venenum abſcondentia reiiciamus: *ad æterna vocatos animos, peritura bona non teneant,* prolapſæ vitæ errores emendemus triſti

Ezechiel. 36. 31.

recordatione culparum noſtrarum, *& recordamini viarum veſtrarum peſſimarum, Studiorumque non bonorum, & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ.* Servemus inſuper Dei monita, ac leges, ſequamur veſtigia ejus, qui nos redemit, ut Chriſtiani, & homines verè dicamur, & *viam veritatis ingreſſos fallaces Mundi illecebræ non deflectant.*

Sanctiſ. homil. 3. in Dominic. Reſurr.

Digitized by Google



EXERCITATIO SECUNDA.

DE HOMINE PUERO.

I.

Primum naſcentium hominum omen lacrymæ.

II.

Naſcentium hominum diſpares conditiones.

III.

Naſcentes homines, & baptizati debent naturæ, & Parentibus, quod in mortalem vitam ediderint: magis autem Deo, qui ad immortalem aditum aperuit.

IV.

Magnum beneficium eſt, quod nobis neſcien-

tibus

Digitized by Google

tibus à Deo datum eſt.

V.

Maximum autem, quod in maximum bonum datum eſt nobis neſcientibus.

V I.

Quantum Deo debeant ii, qui naſcendo pluribus beneficiis ipſis neſcientibus cumulati ſunt.

I. BEnè, ac ſapienter, quod quemadmodũ mori ſe vident homines, ità illis ſe naſci videre liceret, procul dubio, malle eos videre ſe mori, quam naſci, plerique dixerunt. Poteſt ſiquidem omnibus de Mundo exeuntibus, ſi modo juſti decederent mors eſſe ſuavis, & ſine dolore, ut ipſa Divina ait Sapientia: ubi omnibus in Mundum introeuntibus firmâ quadam naturæ lege idem cum gemitu, ac doloribus ingreſſus eſt. Quapropter nonnulli etiam ex majoribus noſtris inſtituerunt natales hominum po-

tiùs, quàm funera ploratu, & lacrymis celebrari debere, eò nempe edocti, quòd cum primum naſcentium hominum omẽ natura voluerit eſſe lacrymas, his omne ſequens ætatis hominum tempus conſentire videatur. Naſcimur ſiquidem, & ex confuſo veluti in magis confuſum chaos exeuntes nullus nobis eſt ſenſus, niſi, quò doloribus, & gemitu torquemur; nec eſſe nos ſcimus, niſi quià anguſtiis premimur, & affligimur, nobis etiam metipſis nos eſſe moleſtos patimur, quod noſmetipſos non noſcimus. Nil igitur omnibus hominibus, quàm lacrymæ antiquiùs eſt, quibus uniuſcujuſque vitæ principium natura auſpicata eſt: harum autem ærumnarum nulla infelicior ea eſt, quà originali labe coinquinati ipſi Deo inimici Mundo & naſcimur, itaque quibus per gemitus mortalis vitæ aditus aperitur, propter peccatum immortalis aditus intercluditur.

II. Juſtæ tamen lacrymę ſunt ultimis Terrarum Regionibus naſcentibus, ubi nullum Fidei Sacramentum, nullum Chriſtianæ Religionis lumen, nulla corporum ſuorum vitæ relicta ſpe, nullo animæ adjumento illis remanente de vitæ curſu, de æterna ſalute deſperant. Juſtæ illis, qui ſolitudinibus naſcuntur, quòd

nemo illis opem ferat, nemo miniſtret, nutriat, blandiatur, omni vitæ præſidio deſtituti cum Feris, belluiſque ſilveſtribus vitam degere doleant, illarumque futuram predam pertimeſcant. Juſtæ illis, qui rigidiſſimis Cœli climatibus naſcuntur, ubi rerum inopia laborantes ſe à frigoribus, nivibus, cæteriſque aeris injuriis ut tueantur non habeant, vixque natis laborioſa egeſtas, Cœli intemperies mortem minentur. Juſtæ illis, qui impiis, improbiſque Parentibus naſcuntur, qui eos Mundo edidiſſe obliti, vitæ curſum inſtituere neſcientes illam deplorent, vel quod infantes, illos talis anguſtia premat, cum nec verborum uſum, nec virium tantum habeant, quibus vitæ neceſſaria ſibi comparare poſſint. Hæ autem diſpares ſunt naſcentium conditiones, omnes tamen miſerrimæ, digniſſimæque, quæ collacrymentur: Quamobrem horum alii numquam Deum noverunt, alii verum Deum non adoraverunt, alii Parentes neſciverunt, alii in ipſo vitæ ingreſſu perierunt, alii tandem nullum naturæ donum, præter eſſe miſerrimum poſſiderunt: diſpares certè conditiones hæ ſunt: in hoc tamen iſti conveniunt, quòd æque vitam ingreſſi, æque infelices fuerunt.

III.

III. Qui verò non in ultimis Terrarum Regionibus natus eſt, ſed in ipſo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ gremio, ubi baptizatus, originali labe mundatus eſt, ubi Chriſtianæ Religionis lumine eruditus fuit, Qui non ſolitudini, ſed hominum frequentia, ubi qui opem tulit, adfuit, qui miniſtravit, nutrivit, blanditus eſt, Qui non rigidiſsimis Cœli climatibus, ſed temperato climate, non inopia rerum laborans ab omnibus aëris injurijs cuſtoditus, Qui non improbis, impiiſque Parentibus, ſed piis, orthodoxis, qui illum benè educaverunt, quibus de illo ſumma cura fuit: is certè maximoperè diſparem naſcendo conditionem ab aliis ſortitus eſt: is pariter naturæ multum, Parentibus magnum, maximum autem Deo debet; ſi ſemel ſeriò cogitaverit, qui natus eſt, qualis naſci poterat, quid illi primum naſcenti, natura, Parentes, Deus ſint elargiti: ex eo namque potiſsimum debitum naſcitur, quod aliquod beneficium acceperit, perſingulare autem debitum illi eſſe debet, cui particularia beneficia ſunt impartita. Nunc tibi naſcenti magna dedit natura beneficia, & non omnibus communia: unum commune omnibus beneficium datum, eſſe, ſine quo Mun-

do naſci non poterat, tibi verò commoda vitæ adiunxit, quæ aliis negavit: pleroſque etenim, & ſi eſſe ab natura habuerint, tamen ipſa deſtituit, ſuiſque donis orbavit. Temperatum clima, copia rerum, alimenta, cæteraque ad vitam neceſſaria commoda, quibus naſcendo abbundanter cumulatus fuiſti, naturæ dona ſunt, quibus plerique caruerunt. His autem omnibus perfruendis, vel procurandis, aut in vitæ commoditatem vertendis, nullum tibi conſilium erat, nullum judicium, nullæ vires erant, nullaque rerum diſcretio: quapropter magnum eſt, quod Parentum conſilio debes, miniſtrantium viribus, ac opere, ſine quibus certè inutilia tibi naturæ dona quamplura fuiſſent, quemadmodum magnum debitum iis ineſt, quibus cum nullum ſit probum rerum agendarum conſilium aliorum peritiæ, ac prudentiæ gerenda committunt negotia: magna pariter nos civilium rerum gnari, Patronis debemus, quorum prudentia, & conſilio, quæ bona nobis à lege adſcripta ſint tutò poſſidemus, ac fruimur: eodem igitur modo magna Parentibus cæteriſque, qui miniſtraverunt debemus, quorum opera, & conſilio datis nobis naturæ donis, neceſſitatibus vitæ reparan-

dis, naſcendo uſi fuimus: debemus illis pariter educationem, ac vitæ inſtitutionem: Poſſent etiam adiici beneficia, quæ à magiſtris, à Patria habuimus, omnibus enim iſtis debemus, nec debitum ullum eſt, quod aliquo beneficio contractum non ſit. Dedit autem ſua benificia tibi Deus naſcenti, cum enim originali labe coinquinatus, atque Deo inimicus in Mundum venires per Sacrum Baptiſma infudit tibi Deus gratiam Cœleſtem Sanctificantem, qua primum originali ſorde ablutus, aditus tibi ad vitam æternè beatam adapertus fuit. Omnia modo beneficiorum genera hæc ſi in comparationem adduxeris facilè illorum diſcrimen habebis, atque quodnam majus tibi debitum inſit, ex majori, ac præſtantiori beneficio accepto perpendere poteris. Primum quidem tibi natura dedit eſſe: verum illud tibi in incerto poſuit, deditque vitam, quam aliquando vult repetere. Deus autem dedit gratiam Cœleſtem immobilem, æternam, ſi modo illam ſervaveris, non rurſus in labem incidendo; aperuit tibi natura ad vitam mortalem aditum, Deus autem ad Cœleſtem, & immortalem: illam velis, nolis volet natura repetere, hanc in tua voluntate, & opere erit in

æter-

æternum frui ac poſſidere: illa tibi vitam mortalem, at non integram dedit, quandoquidem animam tibi ſolus Deus donavit, qui vitam ſpiritualem per cœleſtem gratiam, perfectamque dedit, illa dedit terrenum, ac incertum, cœleſte, ac duraturum tibi Deus fuit elargitus: illa tandem vitam dedit, qua nova creatura in Mundum veniſti: tibi Deus gratiam, qua novus homo coram Angelis, ſibique ſimillimus in Cœlum venires. Præterea dedit tibi natura vitam paſſionibus, morbiſque innumeris obnoxiam, nec beneficia dedit, quibus tutò mala hæc avverterentur: Deus autem dedit cœleſtem gratiam, qua morti æternæ natus propter peccatum priſtinæ innocentiæ redderetis, ac anima tua reviviſceret ſuiſque languoribus ſanaretur, eripuitque illam è faucibus Demonis: rurſus ſi debitum cum natura contraxiſti, quòd eſſe illa dederit, aliquando perſolvere debes, cum illa voluerit repetere, Deus autem gratuitò, & nunquam repetiturus beneficia dedit: Quemadmodum ergo minus illi deberes, à quo creditam pecuniam hac lege acceperis, ut cum creditori libuerit illam reſtituere tenearis, magis autem illi, qui tibi tradiderit tuo arbitrio utendam pecuniam, maximum au-

autem illi, qui dederit nunquam repetiturus, ità maximum eſt quod Deo debes, quod beneficia, & tuo arbitrio utenda, & nunquam repetiturus dederit, quod verò Parentes tibi beneficia dederint, dederunt, quod debebant: quinimò naturæ lege tenentur hi filios alere, educare, Deus autem quod dedit, dare non debebat, ſed voluit. Naſcendo igitur ſi omnia alia beneficia examinaveris, hæc ad Dei beneficia comparata pro nihilo ſunt, vel ratione qualitatis eorum, vel ratione ejus qui dedit, vel ratione boni, in quod data ſunt, maximum ergo eſt quod præcæteris Deo debes.

IV. Tranſeamus modo ad illa beneficia, quæ tibi Deus naſcenti dederit diligentius examinanda, ut exindè inſitum tibi erga ipſum debitum evidentius noſcas: conſiderando quis acceperit, quis dederit. Primum ergo natus fuiſti Dei inimicus propter peccatum, ejuſque indignationem conſequenter mœrebaris, pro illa autem voluit Deus tibi inimico beneficium dare. Beneficium eſt certè quod ab amico acceperis, etenim quod in bonum tuum traditur non poteſt niſi ille, cui amicus es, velle dare: quod autem ab eo, cui inimicus es, acciperis, hoc magnum beneficium eſt, & non unum

ſed

ſed multiplex ; magnum quidem quod præter ſpem acceperis, non enim ab his, quibus inimici ſumus beneficia ſperamus, quorum è contra indignationes potius timemus : multiplex autem eſt etiam ex eo quod ille, cui inimicus es ſi beneficium dederit, tacitè voluit etiam tibi ſe reconciliari. Rurſus ex eo inimicitia contrahitur, quod alicui injuriam irrogaveris, ut autem illi reconcilieris, atque ejus beneficio dignus efficiaris deberes injuriam prius delere, illique ſatisfacere; Si autem hic, cui es inimicus ob illatam injuriam, illam tibi remitteret ſpontè, jurique ſuó cederet, non petendo ſatisfactionis debitum, & ultrò etiam tibi beneficium daret, quantum illi deberes! certè maximum : perindè Deus ſe geſſit tibi naſcenti beneficium dando, maximam enim inimicitiam, ob maximam injuriam propter peccatum illi inlatam contraxiſti, atque ſatisfactionis debitum pro reconciliatione maximum, àc infinitum etiam erat. Spontè verùm Deus tibi injuriam remiſit, neque debitum pro ſatisfactione petiit, & ultrò beneficium dedit : perpende igitur quam magnum ſit hoc beneficium, & quodnam tibi ultrò debitum impoſuerit. Præterea accepti beneficii vim auget maxima illius in-

di-

digentia ; ex eo enim quod magis , vel minus indigemus minus , aut magis deſideramus beneficium , & quemadmodum minima indigentia , minimo beneficio juvari poteſt , ita maxima maximo indiget : multum autem vis illa augebitur inſuper , ſi cum maxima indigentia maxima illius ignorantia ſit , quamobrem , ubi tuæ indigentiæ conſcius non es , quid tibi expediat ignorans perpetuò carere pores illo bono , quòd in tuæ egeſtatis juvamen daretur , his igitur ſtantibus , hoc eſt ſi tibi maximè indigenti , maximeque indigentiam tuam ignoranti , beneficium tibi daretur , & illud quidem , quo omnem tuam egeſtatem alleviares hoc certè omnium beneficiorum vim ſuperaret, hujùs naturæ beneficium tibi naſcenti Deus dedit . Quinimmò in maxima eras indigentia redimendi ſcilicet animam tuam de laqueo diaboli , quo propter originale peccatum vincta tenebatur : in maxima pariter hujus indigentiæ ignorantia eras , eo quod puer nullum tibi lumen rationis erat , nullumque per conſequens de rebus judicium , nulla rerum notio , nulla rerum ſcientia non modo , ſed nec tui erat , tibi igitur , quid expediret ignoranti , & in hac miſerrima conditione conſtituto Deus beneficium dedit , jam

 nunc

nunc ex eo quod naſcens eras acceptorum beneficiorum magnitudinem percepiſti, tranſeamus modo ad examinandum, quis dederit. Primùm dedit beneficia Deus, hoc eſt dedit ille, qui ſolus potuit dare: Magnum eſt beneficium, quod datur à Principe, quandoquidem dare poteſt quod privatus non poteſt, ſi ergo hujus naturæ beneficium à Principe acceperis, hoc omnium privatorum beneficia vincet eodem modo Deus dedit, quod nulla alia creatura dare poterat; quis enim præter Deum te à laqueo diaboli eripere poterat, quis tibi infinitum debitum remittere propter peccatum contractum præter illum, quis poterat tibi æternæ ſalutis aditum aperire, quis poterat præter Deum animam tuam phædiſſimè coinquinatam, ac mortuam mundare, & ad ſpiritualem vitam revocare, nemo. Rurſus dedit tibi beneficia ille, cujus erat ad te puniendum, atque in ignem æternum perdendum propter peccatum, dedit ille, qui una omnium rerum omnipotens creator, ac conſervator exiſtit, qui omnibus quotquot vides ſummo Imperio preeſt, omniaque illi tamquam ſupremam poteſtatem habenti ſubiacent; quibus omnibus regendis juſtus ſimul, & clemens eſt, præ tot autem voluit erga

te

te non juſtitiam ſed clementiam exercere, remittendo tibi peccatum per baptiſmum, imò amorem ſuum exercendo, dando tibi beneficium dedit ille, ante cujus conſpectum innocentes Angeli, Arcangeli, & Poteſtatem tremunt; hic idem eſt, qui erga te naſcentem, & peccato maculatum, & ſic nocentem, non aſpectu terrorem incutientem, ſed ſummum effluente amorem ejus beneficio dignum voluit.

V. Maximum autem beneficium eſt, quod in maximum bonum nobis neſcientibus datum eſt, cum autem in hoc ſenſu maximum dicimus beneficium multò plùſquam maximum volumus intelligi, eodem modo ſupra accipiendum eſt, ubi magnum dicebamus, quoniam enim terrenarum rerum ad cœleſtia nulla poteſt comparatio eſſe, ubi magnitudinem cœleſtium beneficiorum exprimere volumus id verborum egeſtas non permittit nobis, atque ultrò plùs extendi tam magnum, quam maximum beneficium in re noſtra, quam verborum ſignificatio admittit cenſendum eſt, maximum, inquam beneficium eſt, quod datum eſt in maximum bonum, ex eo quod, ille qui hoc beneficium dat totum id dat, quod dare poteſt, ità maximum eſt illud quod à

 Prin-

Principe datur, ſi mortis periculo te liberet, dat enim totum quod dare poteſt Princeps, quandoquidem cætera beneficia ad vitam tantummodo referuntur, hoc eſt, ut meliùs, & commodius vivamus, ubi ergo vita privatus quis eſſet nullum in ea beneficium refundi poſſet, ſi modo Princeps morte aliquem liberavit, cujus reus erat, vitam illi denuò dediſſe videtur, & id in quod beneficia cætera refundi poſſunt, ergo dedit totum quod dare potuit in genere beneficii, cum dederit omnium beneficiorum capax beneficium, dicitur proindè maximum, quod in maximum bonum, quemadmodum vita eſt, datum fuit. Eodem modo Deus naſcentibus, & baptizatis nobis totum quod dare potuit dedit dando beneficium, nempè gratiam ſanctificantem, qua vitę æternæ beatæ digni facti fuimus: quid enim aliud dare poterat; dedit nimirum id ad quod refunduntur cætera, ac omnia beneficia, quæ humano generi elargitus eſt Deus pro ſalute animarum, ad quid enim illa referuntur niſi ad beatam vitam poſſidendam dedit ergo beneficium omnium beneficiorum capax, ſeù illud quo majus dari non poterat: præterea in maximum bonum, quemadmodum vita æternæ beata eſt, idque tibi neſcienti dedit.

VI. Quan-

VI. Quantum itaque Deo debeant ii, qui naſcendo baptizati ſunt facilè nunc cognitu erit, ſi beneficia, quæ acceperunt, illorumque circumſtantias in unum colligere velimus. Primum Deo debent, quod beneficium acceperint, naſcitur enim debitum etiam ex beneficio ſimpliciter accepto. Debent poſtmodum, quod ab eo, cui erant propter peccatum inimici habuerint beneficium. Debent rurſus quod acceperint ipſis neſcientibus indigentiam ſuam, & in maxima egeſtate conſtitutis. Debent ultrò; quod ab eo beneficium acceperint, cui jus erat ad illos puniendos, & perdendos propter culpam originalem. Debent tandem quod maximum beneficium acceperint, quo majus dari non potuit, horum unumquodque magnum nobis erga eum, à quo accepimus debitum imponeret, quodnam ergo nobis pro omnibus inſitum erga Deum debitum erit! pluſquam certè maximum, hujus modo magnitudo tanta ſit licet, nihil tamen eſt, quod homines faciliùs obliviſcantur, in eo, ut opinior confiſi, quod ignorantia illa, qua nati ſumus ab hoc onere nos eximat, & ità quod cęteroquin beneficii vim auxit, id excuſationis loco habent, ignorantia certè excuſare valebit, dummodo ſit illa invinci-

cibilis, verum ubi uſus rationis advenerit, atque rerum diſcretio acceptorumque bonorum ſcientia, quid à debito illo gratitudinis erga Deum excuſare valebit! nil certè niſi voluntaria negligentia.

VII. Si cum hominibus res ageretur, ſcilicet, ſi ab homine beneficium acceperis, cujus auctoris tibi ſcientia non eſſet, debito gratitudinis tenereris omnem adhibere diligentiam, ut illum invenires ſimul, ac convenires, ut illi gratias referres, teque illi gratum oſtenderes; ſin minus ità te gerere neglexeris, ulteriori beneficio indignus reddederis ingrati nomen peſſimum indueres publico, privatoque odio dignus efficereris: ubi verò maximum beneficium acceperis, maximam quoque diligentiam adhibere deberes: Si verò maximorum beneficiorum cumulum haberes publicis, etiam grati animi oſtentationibus benefacientem Auctorem proſequereris: nimirum homini erga hominem adeò hæc neceſſaria ſunt, ut qui ſecus ageret impunis etiam à publica indignatione evadere nequiret, nunc autem nobis cum Deo res agenda eſt, qui beneficia longè majora, quam quæ homines dare poſſunt elargitus eſt, quantò plus ergo debemus, ubi primum uſu rationis ignorantiam puerilem exuimus, illiuſque ſcien-

ſcientiam , ac datorum bonorum habuimus ipſum querere , gratias illi referre , eique nos gratos oſtendere : Majeſtatem ejus adorari , quod tam grandia beneficia non męrentibus dederit , ejus clementiam venerari , qua voluit , nos ſuos inimicos , ejus amore dignos efficere , gratias ejus immenſę liberalitati referre , quod voluerit gratuito nobis infinitum debitum remittere , ejus immenſi amori , quo voluerit nos terrena ſorde phædatos æternæ vitæ ac beate dignos efficere , ejus pietati , qua voluit nos diaboli vinculis illaqueati miſericorditer ſolvi.

EXER-



EXERCITATIO IV.
DE HOMINE ADULTO.

I.

Quare adulto opportunè enitendum eſt, ut rectæ vitæ rationem inſtituat.

II.

Quid hominibus certum ſit, quid incertum tam naſcendo, quam moriendo.

III.

Natalis hominum, & Funeris diſparitates.

IV.

Vita hominum in incerto poſita.

V.

Vitæ amor, cuique à natura inditus, etiam animantibus.

VI.

Vana hominum ſtudia reparandis Vitæ periculis.

VII.

Vita duplex altera mortalis, immortalis altera.

VIII.

Mortalis Vitæ adulti inſtitutio, ut immortalem ſibi comparet.

I. PUer huc uſque naturæ vixiſti; nec tibi vitæ ratio fuit, ubi rationis uſus non erat: nunc vivere Mundo incipis: verum natus es, ut Deo viveres. Hæc tria genera vivendi te puerum ignoraſſe, tibi puerilis ætas excuſationis loco erat: nunc autem, quoniam adultus es, puerilemque igno-

rantiam poſuiſti, cum tibi jam ſit rationis uſus, atque multa de rebus judicia ferre potes, quibus optima quæque ſeligas, multaque etiam, quæ tibi ob oculos ponentur facilè percipere potes, nulla tibi excuſandi ratio erit, ſi vivendo longius ab rationis dictamine vitæ tuæ curſus aberret. Qua propter nunc tibi ſummoperè enitendum, nunc vigilandum, nunc ſeriò meditandum, quemadmodum vitæ rationem inſtituas; nam præterquam quòd quivis in poſterum error tibi culpæ loco erit, nec amplius ad excuſandum jus eſt, accedit etiam quod tenera adhuc nunc ætas tua facilè quocumque velis illam flectere valebis, habituſque ille, quem ſemel acquiſiverit adeò longo tractu ſolidabitur, ut ſi bonus, optimuſque ſit non facilè in malum vertetur, ſin malus, peſſimuſque exiſtat tibi difficilis ad pœnitentiam receſſus erit: Accedit rurſus, quod conſiderabiliùs quidem eſt, quod floreſcente nunc ætate tua, paſſionum, affectuumque ſemina quamplurima ſenſim excitabuntur, quæ non modo vitæ rectè inſtitutæ contraria exiſtunt, verum horum unumquodque modò huc, modò illuc te jactare poteſt, ac præcipiti lapſu in errores, ac peccata trahere: horum autem primò ſurgentium vitiorum vis facilè poteſt

co-

cohiberi, & arceri, ubi verò robur acquiſiverit difficillimum eſt frangere. Accedent rurſus vitæ oblectamenta, atque illecebræ, quibus te nunc potiſſimùm, jucundiuſque delectari, vivida, ac florens vis corporis permittet, & ardentiùs appetere: quæ omnia ſuaptè natura, aliò nituntur animum flectere, quam, quò recta ratio exigat, hinc igitur nihil mirum eſt, ſi homines videamus vitæ curſum ſequi, non quemadmodum deberent, ſed quemadmodum cæperunt, nec illos valere à via retroire, quam ſunt ſemel ingreſſi, alios paſſionibus dominari, voluptatibus alios trahi, non ullos etiam affectibus ſuis, vel invitos parere; horum ſiquidem primus error in malè vitam inſtituendo, omnium ſequentium errorum origo extat non ſolum, verum ad retractandum difficilis conatus, ac vanus eſſe poteſt; quemadmodum Agricolis teneribus Arboribus adminicula, quibus regerentur primum ponere negligentibus, illas temporis ſpatio roboratas flectere difficillimum eſt.

II. Ex his ergo, quæ diximus opportunè tibi adulto enitendum fore vides, ut vitæ rectæ rationem inſtituas; & quidem ad primum redeundo, jam adultus vivere Mundo incipis, natus autem es, ut

Deo viveres, ut ergo talem vitę curſum, ac rationem inſtituas, quemadmodum decet illum, cui Deo vivendum eſt, idque quàm facillimè aſſequare; optimum erit hujus vitę, quam nunc degis conditionem examinare, tibique ob oculos ponere, multaſque illius circumſtantias, tam originis, quam finis ejus, ſcilicet tam natalis, quam funeris in medium adducere, ad rem igitur, primùm tibi conſtare ſentis naſcenti unum cum reliquo hominum commune fuiſſe, naſci Mundo; à tot, tantiſque diſparem ſortitum eſſe conditionem, renaſci Deo per Baptiſmum, nunc vivens multa etiam tibi cum hominibus cęteris communia ſunt, moriens ultrò cum cæteris erit commune tibi, mori, incertum cum illis erit tibi benè mori, ex his omnibus ultimum hoc attendendum eſt: vis autem bene mori: bene vive; ſi vis benè vivere vitam benè inſtituas oportet.

III. Naſci igitur, ac mori æquè hominibus contingit, circumſtantiæ tamen quædam diſpares ſunt, quas maximum noſſe juvabit, primùm antequam natus eſſes non eras, ſaltem in Mundo, eris autem antequam moriaris, in Mundum veniſti, teque venire neſciebas, è Mundo exibis, dum ſciebas infans amicus fuiſti

Deo

Deo per baptiſmum, moriens inimicus potes eſſe Deo propter novum peccatum. Eoſdem illos natali tuo adſtantes lætos nō vidiſti mæſtos fortè tuo funere videbis. Solus natus non fuiſti, Parentes ſaltem aderant, potes mori ſolus, neque Parentibus circumſtantibus illecebres illæ, blandimenta, & totum id quod tibi infanti, vel natura, vel Parentum ſtudium parabat, proderat tibi, ut viveres, eadem non tibi proderunt, ne moriaris; poſtquam natus fuiſti fuit tibi tempus ad benè vivendum, poſtquam mortuus eris, nullum aliud tibi tempus erit ad benè moriendum: hoc maximum eſt, & ſummopere attendendum, nunc enim vivens potes bonæ morti tuæ conſulere; opportunè ſi ſcilicet vitam rectè inſtitueris.

IV. Modò vita iſthæc, quam degis à natali tuo diſtat: incertum tamen tibi eſt an plus diſtabit, quemadmodum incertum tibi quoque fuit illam hucuſque duxiſſe, in incerto ſiquidem tibi illam natura poſuit, deditque eſſe hac lege, ut cum libuerit, velit repetere, velis, autem nolis huic legi parere oportet, non quidem illa ætati parcit, non ſexui, non conditioni, unam enim voluit omnibus certam eſſe conditionem, vitæ incertitudinem. Familiaris ille tuus eoſdem tecum an-

annos agens acuta febri correptus, mortuus eſt, jam illum defles. Vides Parentem illum ſuper funere pueri natu minoris, quam tu, lacrimas effundere vides hunc alium virilem agens ætatem repentino morbo ereptum, hunc alium ad ſenium uſque perductum non adhuc ultimum clauſiſſe diem; ab his ergo natura diſcriminatim debitum exegit, ut nobis argumentum præberet incertitudinis vitæ, quam degimus. Præterea non illi ditiſſimo mercatori diviriç, ut nati funus avverteret, profuerunt; non illi alteri ſummi honores in quibus conſtitutus erat adjumento fuerunt; ut Funus evitaret; non denique Principum gratia, non bona, non familiares, non corporis robur, atque elegantia proſunt ulli evitanda morte, nec aeris temperies, nec hominum vigilantia prodeſt, ubique moritur, tecum ipſe moriendi principium adfers ex eo igitur, quod vita tibi in incerto poſita ſit, conſequens etiam eſt, nullum tibi certum tempus conſtare ad moriendum, cum nullum perfinitum ſpatium temporis, determinatumque ſit, quod ſcias inter natalem tuum, & mortem: quapropter vita hæc quam degis nullo momento mortis periculo caret, quod inſuper periculum non unum, ac ſimplex eſt, ſed multiplex,

&

& quod ex innumeris caſibus pendet: innumeri ſiquidem ſunt morbi, ac morboſæ affectiones, quibus vita periclitari poteſt, innumeri etiam caſus ſunt præter noſtram voluntatem occurrentes, quibus cum periculo vitæ expoſiti ſumus: accedunt etiam pericula illa execranda hominum malitia parata, quemadmodum odia, venena, occiſiones, ſubverſiones, hiſque ſimilia: his ergo omnibus periculis, hominis conditio hæc, quam induis non modo obnoxia eſt, ſed quovis etiam momento expoſita exiſtit, ex eo rurſus, quod tibi vita in incerto ſit, ac certum tempus ad moriendum nullum tibi eſt, infertur tandem, omnia illa, quæ poſſides, quæque ad vitam referuntur, æquè pariter tibi in incerto eſſe; quid enim certum eſſe dicamus, quod ad rem incertam refertur: non certè quidem bona dicitur is poſſidere cui ſuſpicio ſit, aliis jus eſſe ad repetendum; eodem modo igitur bona quęcumque nunc poſſides tutò poſſidere verum non eſt, quinimmò poſt mortem tuam aliis jus erit ad repetendum, ac poſſidendum, ſunt enim æquè penes te ipſum in incerto poſita, quemadmodum jam fuerunt penes tuos, non enim niſi lethali quadam ſerie permutationis ad te uſque pervenerunt, magnificæ ædes tuæ,

in-

Digitized by Google

jucunda habitacula, viridaria, deliciæque omnes, quibus eleganter ornantur ſupellectilia in uſum, ac vitæ commodum elaborata Patronos plures habuerunt, quibus incertum tempus fuit ad poſſidendum, unà cum illis hanc tibi funeſtam recordationem tranſmiſerunt. Quapropter ſi vera hæc omninò ſunt, atque omni dubitatione aliena, ut potè quod experientia pateant, procul dubio eſt deſideria illa tua circa res terrenas, quibus majora vitę commoda tibi comparare promittis, ęquè vana eſſe, & in incerto poſita; vanum inſuper quidquid pro tuę conditionis melioratione moliris, cum numquam ſecurus animi eſſe poſſis vel de exiguo vitę mon ento.

V. His ergo omnibus conſiderandis, haud dubium eſt, te plurimum exacerbari, & tamquam graviſſimo negotio intentum moleſtè occupatum eſſe, vix enim dum vitę blandimenta delibare cæpiſti mortis terrore angeris. Parentum ſolatia, illecebrę, amicorum gaudia, vitęque otia, & oblectamenta, tamquam fluctuoſo mari, ac naufragium proximè jam minitanti timidè expiſcaris, his enim omnibus exitiali caſu orbari poſſe, momento quovis certò ſentis. Quamobrem non inficiaberis vitam tibi eſſe caram, atque co-

gi-

gitationem amittendi illam exiſtere moleſtiſſimam, nec te dumtaxat cogitatio iſthęc ſollicitum facit, omnes enim quot quot vides homines, eodem oblectamento vitę tenentur, ſi paucos admodum inſanientes, vel potiùs in furorem actos excipias, qui ſibi ipſis mortem conſciverunt, ſiquidem à natura ipſa unicuique vitę amor inditus eſt, quo quiſque quantum in ſe eſt illam tueri enititur, quę autem ſunt à natura ea univerſis ejuſdem naturę convenire neceſſum eſt. Ipſamet Animantia expertia rationis naturali inſtintu vitam non modo tueri curant, verum & vitæ pericula avertere, quapropter illa ſolitudinibus abducta, ſpecubus obſcuris, ſubterraneiſque cuniculis ſibi habitacula parant, ut vitæ ſecuritati conſulerent, unicuique igitur viventi, cara vita eſt, cogitatio amittendi illam moleſta, & acerba.

V I. Hic amor ad vitam ad conſulendum illius ſecuritati adeò homines vehementer incitavit, ut nullum aliud ſtudium efficaciùs ſuſceptum videretur illis: digna enim illorum vita videbatur in quam conſervandam tanta opera impenderetur. At nihil cum ſpe propoſiti tàm infeliciter hominibus ſuſceptum videtur: Siquidem eoſdem illos morbos, qui principio

rerum homines invaſerunt, in hunc uſque diem hominum genus miſerrimè graſſantes, non ſine luctu, & lacrymis identidem experimur: non enim præſtantiſſimorum virorum exculta ingenia medendis tutò morbis profuerunt: non conſultiſſimorum rerum naturalium virorum elucubrationes noſcendis morborum cauſis: non ſuſceptæ ad ultima Terrarum confinia peregrinationes inveſtigandis erbis, explorandiſque illarum ęgrotantibus ſalutaribus radicibus, aſportandis ex alieno orbe arborum corticibus, ſuccis, quibus tutò febres fugarentur, ac humanæ vitæ languores levarentur: non opera, & ſtudium eviſcerandis montibus, ac ervendis utilibus-mineralibus reparandis, ac infringendis morbis: non tot eruditorum Academiæ continuò edendis phyſicis experimentis ſummo ſtudio, ac impendio laborantes, non tot cadaverum ſectiones, quibus radices morborum funditùs noſcerentur: non tot phyſica elaboratoria componendis, præparandis, vel coquendis remediis apta; non Chimiæ magiſteria diligentiora profuerunt tutò morboſis vitæ periculis avvertendis æquè morimur, ęquè deliramus, ęquè cæteris vitæ languoribus angimur, ęquè tandem vita nobis in incerto remanſit. Neque dicere valet alios de-

deceſſiſſe, quod illis negligentior cura fuerit, alios verò, quod illis egeſtate laborantibus, nec unde ſibi remedia comparare poſſent habentibus, inopportuna illis applicata fuerint, alios, quod peritiſſimos medicos non ſelegerint, quod aerem non mutaverint, alios verò, quod laborioſis exercitationibus defatigati vires morbi, defeſſa membra ſuſtinere non valuerunt, alios autem, quod nimis intemperatè vixerint, & ità contracto morbo ſibi mortem acceleraverunt, alios itidem, quod primò ſurgentis morbi vim frangere opportunè neglexerint. Forſan ſpem aliquã tibi facis longè ab his omnibus diſtanti vitæ pericula effuggere, quod ſcilicet Parentibus carus, ſi in morbum incidere contingerit ſumma illis diligentia ſumma ſedulitas erit, ut ad ſanitatem reſtituaris; quod tibi in ſummis opibus conſtituto pretioſa remedia non deerunt, ac conſultiſſimi Medici. Quod nobilitate fulgens, nulla laborioſa exercitatione defatigari cogeris, qua morbus contrahi poteſt, quod miniſtrantium turba quid quid opus fuerit promptè ſuggeret ægrotanti, quod ſollicitus eris primo morbi ictui occurrere opportunè medendo, quod cum vitam temperatè agas intemperantiæ morbis non laborare ſperas. Pererras ſiquidem ſi ex

his omnibus ſecuritatis ſpem quandam tibi promittis: Quamobrem homines, & humani caſus tibi in conſpectu ſunt, ut experientia de errore convinci poſſis: videmus enim mœſtiſſimos ſæpè lugere Parentes, ac doloribus acerbiſſimis excruciari, quod immatura mors illis natos eripuerit, in quos quidem omne ſtudium, omnis opera, & diligens ſedulitas pro ſanitate reparanda fruſtrà impenſa fuerit, non nè etiam magnificas ædes videmus funebri apparatu mœſtitiam præſeferre, quod illic Vir in ſummis opibus conſtitutus, nobilitate præſtans extremum clauſerit diem, cui non quidquid hominum ſtudium inveſtigavit pro ſanitate tuenda, morbis curandis, profuit, ut cæteros caſus ſingulis hominum conditionibus occurrentes prætereamus, qui experientia in dies patent: Poſſunt autem hæc omnia ratione confirmari: Siquidem, cum conſtet natura nos eſſe mortales, quid ergo ars, ſive hominum ſtudium poterit nos ab hac naturæ lege ſubducere? Quamobrem quæ à natura ſunt arte vinci non poſſunt; poteſt quidem ars naturam juvare, non vero mutare, ſi modo ars tanta ſit, ut noverit ubi juvamen opus fuerit, & quomodo applicandum: inter tot enim præſtantiſſimorum opera

Ar-

Artificum, miro elaborata artificio, non hucuſque vidimus perexiguum arboris folium, quemadmodum à natura eſt, manufactum: juvabit tamen ars ad Arborum incrementum: quandoque verò experientia eſt compertum juvamen hoc prorſus inutile reddi, vel ex eo ut dicebam, quod ubi opus fuerit neſcimus, aut quomodò applicandum, vel quia impedimenta, quæ juvamini occurrunt, auferre vel ignoramus, vel non valemus, innumera ſiquidem opera naturæ ſunt, quæ omnia noſcere oporteret, & cæteroquin abdita nimis, quæ humano percipiantur ingenio, non igitur ars poterit mortalem naturam noſtram mutare, quid ergo poterit, illam juvare morbis medendo, vitamque in longum protrahendo, verùm quis adhuc omnium morborum cauſas novit, quis illorum ſymptomata, antecedentia, conſequentia probè inveſtigavit, Cui unquam de humani corporis temperatura tutò conſtitit. Præterea inter conſtituentes corporis partes nonnullæ exiguiſſimæ ſunt, quas hucuſque non novimus, & forſan noſcere deſperamus, ſemper enim ſecandis cadaveribus novi aliquid detectum eſt; credibile hinc eſt multas etiam partes abditas eſſe, quæ hucuſque non nobis patuerunt, quomodo ergo

go illarum affectionibus medebimur? Sed eſto partes omnes noſcantur, quomodo dum totum corpus infirmitate laborat affectam tantummodò partem noſcemus? Signa enim, quæ ut plurimum morbos præcurrunt non umquam inconſtantia ſunt, non umquam adeò leviſſima, quæ vix percipiantur, nonumquam tandem multiplicitate morborum confuſa, his ergo ſic ſtantibus, quomodò tutò medebimur, tutò naturam juvabimus? Sed eſto rurſus hæc omnia noſcantur, quæ tamen cognitu difficillima ſunt, quomodo tutò remedia applicabimus? cui conſtitit tutò hoc remedium hujus morbi vim frangere: verum quid omnia illa hic referre ſtudemus, quibus de incertitudine artis medicæ convincimur, unum præcunctis dicere ſufficiat, nempè nihil eſſe in una ſchola certò, & citrà controverſiam ſtabilitum, cui ab alia non adverſetur: Vani igitur hominum conatus ſunt reparandis hiſce vitæ periculis, quæ morbis dependent, quibus etiam adiici poſſunt ea vitæ pericula, quæ hominum inſidiis, & execranda malitia parantur, quemadmodum venena, odia, aliaque ſimilià adiici poſſunt, etiam illa, quæ caſu, & pratèr propoſitum accidunt, quibus non minus frequenter hominum vita expoſita exiſtit, quemad-

admodum his accidit, qui per incerta viarum incedentes Terræ hiatu abripiuntur, qui ruinis obruuntur, qui per remota vagantes Feris dilaniantur, qui mari navigantes naufragium faciunt, innumera propemodum alia mala ſunt, & ſi minoris momenti, quibus tamen, tam corpus, quam mens noſtra torquetur, & angitur, veluti triſtitiæ, mœrores, metus, cæterique affectus, ac paſſiones omnes, quæ non ſine dolore, ac moleſtia experiuntur, quibus identidem expoſiti ſumus, vides igitur vitæ rationem, quam degis, habes naturæ conditionem, quam induis, pericula certò vides, & irreparabilia mala certò ſentis, quibus tutò mederi deſperas. Univerſuſque hominum complexus, cum de re, quæ omnium intereſt agerretur, quidquid in tuum, omniumque juvamen potuit ſtudiis, opera, vigiliis edidit, quibus omnibus, ęquè tibi vita in incerto remanſit, iiſdemque periculis, ac malis expoſita, his itaque perſpectis modo tranſeamus ad alia.

VII. Vita duplex eſt, altera mortalis, immortalis altera, illa eſt, qua vivis, hæc autem, qua victurus es, ſeù meliùs prior illi ſpatio temporis, quod inter natalem tuum, & mortem comprehenditur reſpondet, poſterior verò eſt, cujus princi-

ci-

cipium erit poſt mortem tuàm in æternum poſtmodum duratura : illi corpus tuum reſpondet , huic anima ; pro illa corpus à natura genitum , pro iſta anima à Deo condita eſt, hæc duo vitarum genera , & ſi tanto inter ſe diſcrimine diſtent , ut nullatenus in comparationem adduci queant, quod finiti ad infinitum nulla ſit proportio, non ullas tamen eorum circumſtantias ad rem noſtram plurimùm pertinentes recenſendas eſſe duximus . Primùm mortalis vita ut nomen ipſum præſefert fragilis eſt , & in incerto poſita, immortalis autem certa, & immobilis : illa innumeris periculis, ac malis obnoxia , hæc ſecura ſemper, & æterna nullo periculo ſubiecta, aut expoſita eſt. Mortalis vitæ ſpatium non idem eſſe poteſt , ſed aliquando breviſſimum , aliquando vero in longius tempus protrahi poteſt , tandem clauditur , & neceſſitate naturæ terminandum eſt, æterna autem vita nullo ſpatio, complectitur , utpote quod in infinitum excurrat ſemper eadem immobilis, ac invariabilis eſt nullius capax alterationis , nec illi additamentum fieri poteſt, nec diminutio, quemadmodum infinito accidit , illa prior cum hominibus degitur, vel Terrenis creaturis; poſterior autem cum Beatis, & coe-

leſtibus creaturis tranſigitur : illa nil habet certi, niſi quod in incerto nobis poſita eſt, immortalis autem ſemper tranquilla, & felix nihil habet incerti, niſi an ejus certam immobilitatem, ac infinitam fruitionem ingredi mereamur, illa ſubſtentanda, ac nutrienda tibi opus eſt alimento, labore, induſtria, ſudore: hæc nullius indiga alimenti, nullius laboris, totum quidquid habet gaudium eſt, & fruitio, illa totum quod poſſidet terrenum eſt, & brevi redditurum, hæc quod poſſidet cœleſte, eſt, & æternum poſſidendum : illam tandem tibi natura dedit, & aliquando repetet, hanc Deus ipſe elargitur, & numquam aufert, pro mortali vita ſervanda omnes hominum conatus vani ſunt, pro æterna comparanda, minimus conatus utilis eſſe poteſt, hæc vita immortalis de qua loquuti ſumus, æternè beata vita illa eſt, quam juſti ingrediuntur, adeſt tamen alia æterna vita, quæ æternę pænæ eſt, quæque cum Dęmonibus in inferno degitur, quam mærentur ii, qui cum peccato decedunt, atque Dęo inimici, & quemadmodum, fruitio, & gaudium vitæ æternæ beatæ infinitum eſt, & nulli Terreno gaudio comparandum, ità pæna vitæ æternæ damnatæ, infinita etiam eſt, & quæ per con-

ſequens nulli Terrenæ pænæ comparari poteſt, ex his ergo quę modo narravimus procul dubio infertur, poſt mortalis vitæ hominum finem, immortalem vitam, ac æternam conſequi, atque adeò duplicem tibi imminere neceſſitatem, alteram ſcilicet moriendi, alteram verò vitam ingredi æternam, velis enim nolis mortalis vita tibi amittenda eſt, immortalis ingredienda, horum inſuper unum non erit in tua poteſtate avvertere, quemadmodum mori, aut ingredi æternitatem; alterum verò in tua poteſtate erit comparare, vitam ſcilicet æternè beatam; pendet enim ex ſuo lubitu velle damnari, aut in æternum cum Beatis vivere; utcumque igitur adultus vitam mortalem inſtituas immortalis vita ingredienda eſt, ſi autem rectè vitam inſtituas, ac ſecundum Dei leges, quod pro tuo arbitrio eſt vitam beatam tibi comparabis. Antequam autem de vitæ inſtitutione recta dicamus, quod quidem ad præſens graviſſimum negotium eſt, tamquam ſcilicet illud ex quo immortalis vitæ comparatio dependet, examinemus illa quæ ultimo loco diximus, ut exindè efficaciùs etiam incitari poſſis ad vitam rectè ſedulò, & efficaciter inſtituendam; non eſt, ut dicebam in hominum poteſtate mortem

aver-

avertere, cum ad id naturæ neceſſitate indiſpenſabili cogamur, idque frequentia funeſtorum caſuum inter homines occurrentium in dies omnibus citrà dubium innoteſcit, nemo tamen eſt, qui mortem avertere non ſit ſollicitus, ut ſuperius jam innuimus, nemo qui ſummoperè vitæ mortalis ſecuritati conſulere non conetur; alios enim videmus temporatam vitam voluntariè degere, alios à rerum tumultu ad otia ſecedere, ut ſcilicet ſecuri viverent, ut mortem averterent: decepti tamen moriuntur, gnari quod id conarenter avvertere, quod in eorum poteſtate non erat: vitam autem æternè beatam comparare in noſtra poteſtate eſt; quotuſquiſque autem eſt, qui ſtudeat arbitrio ſuo uti ad illam conſequendam, facilè enim perſpectum erit, quales eſſent hominum conatus ad eorum arbitrio utendum, ſi in illorum poteſtate eſſet funeſtum caſum avertere ex tot conatibus fruſtrà hucuſque editis: cuinam ergo tantus conatus eſt ad arbitrio utendum pro conſequenda vita æternè beata! Nec toto hominum complexu inſanus adeò quis inveniretur, qui vellet arbitrio ſuo pro evitanda morte abuti, & tamen pluſquam inſani inventi ſunt, qui voluerint illo abuti pro æternè damnata vita evitanda:

quotquot enim Catholica Religione eruditi in ignem æternum cruciantur, hi arbitrio abuſi ſunt, his igitur perſpectis, ne ipſe in hunc peſſimum abuſum miſerè ruas, tibi adulto benè vita inſtituenda eſt, & opportunè, quæ vitæ quidem inſtitutio quantum interſit ſatis vides, igitur conſequens eſt, ut de illa dicamus: vitæ inſtitutio nil aliud eſt, quam vitæ ſervitium; de vita autem mortali, ſeù illa quam nunc degis loquimur. Non autem quodvis vitæ ſervitium inſtitutio dicetur, ſed illud tantum ad quod vitæ curſum ordinaveris, notabis autem, alicui ſervire, & alicui vivere perindè prorsùs ſe habere, hinc facilè cognitu eſt quot ſint ſcilicet vitæ inſtitutionum genera, ſi ſemel examinaveris illarum genera rerum, quibus homines ſerviunt, ſeù meliùs, quibus ſerviendis vitæ curſum ordinaverunt, alii enim vanitati ſerviunt, alii ambitioni, Avaritiæ, ſivè auro cumulando alii, alii amicis, alii ſibi, alii vitiis, voluptatibus alii, alii vanis aſſentationibus captandis vitæ curſum ordinaverunt, alii honoribus acquirendis, alii familiæ nobilitate augenda, alii oſtentanda pompa; alii gloriæ ſerviunt, ac famæ: hæ omnes vitæ inſtitutiones dicuntur: mala autem vitæ inſtitutio eſt ſi ſervitium, quod præſtamus

ma-

malum ſit, vel prorſus vanum, & ab ratione diſſonum: bona autem inſtitutio dicitur, ſi illi cui debemus ſerviamus, ſi eò vitæ curſum ordinaverimus, quod ratio nos invitat, ac dirigit, malè igitur vitam inſtituit, qui ſic inſtituit, ut mortali vitæ ejus ſerviret: vanum hoc ſervitium omninò eſt, ſiquidem incertæ rei ſervire eſt; vita enim in incerto nobis poſita eſt, ut diximus, nulla autem incerta res certum præmium ſervienti dare poteſt, ad quod enim ſervitium hoc directum eſt, niſi ad rem incertam, & quæ ſpem noſtram fallere nata eſt: malè ſiquidem agentis eſt, & inconſideratè bono ſuo conſulentis incertæ rei ſervire, ac operam dare: ità malè dicuntur iter inſtituiſſe eos, quibus de certitudine viarum, aut loci ad quem iter dirigendum eſt, non conſtet: nulla autem res vita mortali, quam degimus incertior eſt, quæ momento perire poteſt: itaque mala dicitur inſtitutio vitæ, quæ huic vitæ ſervit: non minus autem malæ dicuntur inſtitutiones, quibus vanitati ſervimus ambitioni, avaritiæ; hæc enim non minus vana ſunt, & incerta, quam vita ipſamet mortalis, ad quam referuntur: peſſima verò dicitur illa inſtitutio, qua vitiis, ac voluptatibus, affectibus, paſſionibus quis ſervit, præter-

terquam: quod quidem hæc omnia nihil certi, aut ſolidi habeant, eadem qua illa incertitudine, cui vita noſtra ſubiecta eſt, laborent, ratio etiam, & leges prohibent his ſervire: bona autem inſtitutio dicitur ſi illi rei ſerviamus, quæ certa eſt, ſolida, & non deceptura, quæ prȩmia nobis dare poteſt, quemadmodum illa, quæ rationi ſervit, bonis moribus, honeſto, & ſimilibus: optima tandem dicetur ſi ſerviamus, ſivè vivamus illi cui debemus, debemus autem Deo ſervire, ac vivere, vitæ æternæ beatæ, cui nati ſumus, non autem Mundo, terreniſque rebus, quæ perituræ ſunt, hæc igitur tibi recta vitæ ratio, ac inſtitutio erit, huic ergo ſerviendum eſt.

VIII. Quemadmodum Artium, ſcientiarumque profeſſionibus inſtituendæ juventuti, ut hominum ſocietati ſerviat Urbibus loca paſſim conſtructa ſunt, ubi prȩſtantium Auctorum diſciplinæ, ac regulæ traduntur; ità etiam vita inſtituenda, ut Deo ſervias, ac vivas particularia loca, quæ Templa dicuntur, hominibus primùm conſtructa ſunt, à Deo poſtmodum ſacrata, quibus Redemptoris noſtri regulæ morales, leges, ſivè evangelia traduntur, omneque id, quod non modo ad animi tui inſtructionem, ac doctrinam,

ve-

verum etiam ad ſanctificationem aptum, eſt, & efficax, continetur: loca hęc Divina prorsùs, Divinisque rebus referta, ac ſacrata inter homines tamen ſunt, & hominibus dumtaxat ſanctificandis aptiſſima, quęque in Mundo ſunt, ut mundanos quoſque Divinos, ac ſanctos efficiant, ſatis frequentia ſunt, adeò ut non dubitem quin ſępiùs illa ingreſſus ſis, ſemper tamen fortè ſinè fructu regreſſus, quod quid illis contineretur ignorares, quidvè perageretur, non probe noſceres; quid peragendum etiam negligeres; hinc etiam ſit, quod pleriſque immò ferè omnibus accidat, eoſdem ſcilicet Eccleſia regredi, quales intraverunt, idemque vitę mortalis inſtitutum, quod ante ordinaverunt, nulla prorsùs ſui mutatione facta, proſequi. His igitur omnibus, ſi ubi primum Eccleſiam intraverunt ſatis de utilitate eorum, ac pretio, quę illa continentur pro ęterna ſalute animę cognitum fuiſſet, non tàm facilè infructuoſus regreſſus fuiſſet; quemadmodum in ſcientia, vel arte parùm ii proficiunt, quibus de ſcientię, vel artis utilitate, & obiecto non ſatis eſt perſpectum, quapropter, ut optimam vitę rationem inſtituas Templa frequentando, ac in illa inſtitutione proficias, Deo vivendo, ac ſerviendo tibi hęc tria expli-

plicanda erunt : nempè quid in Templô ſivè Eccleſia continetur ; quid illic peragitur : quid peragendum : Quantum ad primum in illa continetur quidquid requiritur ad animę tuę ſanctificationem: quidquid pretioſiùs Deus habet de Cœleſtibus ſuis Theſauris promit , ac illic medendo animæ languoribus poſuit ; verum ſingula , quę continentur percurrere prępſtabit: propera igitur ad Templum , & ingredere : Vides primum Fontem hunc Baptiſmalem hic revocat mentem ad natales tuos , ubi enim natus fueras cum anima originali labe fædè deturpata , atque inimica Deo , hìc per ſacroſanctum hoc lavacrum abluta mundiſſima evaſit , Deo amica , atque particeps myſteriorum Dei effecta fuit ; pretioſiſſimo inſignita caractere ęternum cum ipſa duraturo , ut immobilitatis cœleſtis doni ſignaculum quoddam pręſeferret , hìc ſimiliter ſanctificans gratia in anima tua infuſa fuit , qua nova prorsùs creatura evaſit , Divinis hiſce donis cumulata , ut ſociata imagine ſui Creatoris numquam illum obliviſceretur , hìc rurſus tu Fidem es profeſſus in parentum verbis , hoc eſt promiſiſti inſtituendam tibi eſſe vitę rationem Deo ſerviendo , ejuſque ſanctiſſimæ legis præceptis parendo , mundana deſideria abiicien-

do

do peccata aufugiendo, morales virtutes amplexando, hic ergo ſpirituali regeneratione novus homo Deo renatus fuiſti, hic Deo ſemper vivere promiſiſti: perge, vides confeſſionarium hunc, hoc Tribunal pœnitentiæ eſt, ubi lapſus poſt Baptiſmum hominum diudicantur, & corde contritis, ac humiliatis remittuntur: hic Deus poſuit pretium Sacratiſſimi Sanguinis Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri, quem pro peccatis omnium effudit. Hoc Tribunal eſt, cujus Deus ſupremus Judex Eccleſiaſticum ſubſtituit Miniſtrum, cui remittendi eorum peccata, quos pœniteat poteſtatem dedit: hic enim denuò hominibus Cœleſtis ille Theſaurus, ac pretioſiſſimum donum per Baptiſmum infuſum, & propter peccatum amiſſum reſtituitur, hic fœdata anima rurſus mundatur. Quò autem Tribunal hoc mitiùs eſt, & clementiùs in quo ſcilicet paucis lacrymis, & gemitibus Judicis ſententia favorabilis comparatur; eò tamen ſeveriùs eſt ſi Dei munificentia, quæ in illo exercetur, abutaris, non apertè omnia confitendo, non flebiliter peccata deteſtando, firmumque propoſitum in poſterum non reincidendo, non habendo: Perge: vides ſubſellium illud: illinc verbum Dei prædicatur: illinc myſteria Fidei explanantur, ac dilucidan-

 tur:

tur : illinc vitæ ratio , & inſtitutum ad normam Divinæ legis ſuggeritur : illinc peccati turpitudo , ac malitia ob oculos ponitur , iiſque deteſtandis , quid præſtandum ſit , proponitur : illinc via æternæ ſalutis verbo Dei commoſtratur : illinc de terrenarum rerum contemptu edoceris, ut indè ad Cœleſtia ſemper appetenda incendaris : illinc mortalis vitæ recordatio renovabitur , æternæ , & immortalis conditio deſcribetur : illinc denique quidquid ad hanc poſſidendam tibi faciendum prædicabitur : Perge rurſus ; vides altaria hæc, loca ſunt offerendis Deo Sacrificiis per manus Miniſtrorum Dei , qui Sacerdotes ſunt : in quibus victima , & holocauſtum ipſe Chriſtus Redemptor noſter exiſtit : non enim contentus fuit crucis ſubire tormentum pro omnium animarum ſalute, ſuumque pretioſiſſimum ſanguinem pro peccatis omnium fundere , voluit etiam quotidie offerre ſe in ſacrificium Deo Patri omnipotenti in hominum beneficium, quod hoſtia illa ſacramentalis exhibet , per manus Sacerdotis ; huic ergo Sanctiſſimę actioni peragendę , ac tanti myſterii dignitate conſpicuæ altaria hæc , quæ vides conſtructa ſunt : hęc actio valoris infiniti eſt apud Deum , cujus participant omnes fideles , præcipuè verò qui miniſtrant, qui ad-

adſunt: Vides rurſus Tabernaculum illud; in eo corpus Sacratiſſimum Jeſu Chriſti Redemptoris ſepoſitum eſt, quod fidelibus iis, quos de peccatis pęnituit, & quibus per confeſsionem remiſſa fuerunt, manducandum traditur, ad hoc, ut anima corporali pręſentia Jeſu Chriſti ſaluberrime nutriatur, ac fulciatur, ut in gratia augeſcat, & ut ſecurum pignus Divini amoris habere lętetur intra ſe, ut itidem ad ipſum ſummo amore proſequendum, anima flagrantiùs incitetur: illic igitur ſub ſpecie panis hoc Chriſti corpus cuſtoditur fidelibus diſpenſandum: Perge; vides imagines illas, quę adorantur, quibus incenſa tribuuntur, quorum etiam ſolemnitates, tanto decore, plauſu, & cantibus, celebrantur, hi Sancti ſunt, hoc eſt ii, qui dum vitam in hoc Mundo agerent, ità illis probè inſtituta fuit vita mortalis, ità adamuſſim Fidem, quam Baptiſmo profeſsi fuerunt, eo modo, ac tu profeſſus es, ſervaverunt, atque etiam promiſſa adimpleverunt, ſemper Deo vivendo, ac ſerviendo, loca ſancta iſthęc cum fructu frequentando, ut mortui merentur non ſolum ad vitam æternè Beatam ingredi, ſed inter Sanctos etiam connumerari, hoc eſt, ut ejus corpora, veſtimenta, imagines ab hominibus adora-

rentur; publicè hìc expoſitæ ſunt illorum imagines, aut corpora, aut reliquię, ut eorum inſtitutum imitemur, ac unà etiam precemur illos, ut apud Deum pro nobis interceſſores exiſtant: horum vitæ ratio, & hiſtoria extat publicis edita monumentis, ad omnium fidelium eruditionem, ac exemplum: Quę hucuſque in Templo hoc examinavimus materialia ſunt, viſibilia, & oculis omnium patentia: adſunt alia inviſibilia, altioriſque ordinis, & quę materiali oculi cerni nequeunt, quippè vides Fontem Baptiſmalem: illic munificentię Divinę Theſaurus latet: vides confeſsionarium, illic hęret pretium ſacratiſsimi Sanguinis Redemptoris noſtri: vides altare, ac miniſtrum celebrantem: illic ſolus ipſe non eſt, adſtant enim Chori Angelorum, tanto ſacrificio, & miſterio inſervientes: vides ſpecies illas panis latent ſub illis, & Corpus Chriſti, & Divinitas ejus ineffabilis: vides parietes iſtos, qui ſacrati ſunt, hoc eſt caractere quodam ſpiritualis, ac Divini doni inſigniti, modo ex eo quod ſcias, quid in Templo hoc contineatur, facilè inſuper noveris, quid in illo peragatur, quid ſit peragendum: in illo ſcilicet ſacramenta Dei miniſtrantur fidelibus, in illo gratia Dei animabus infunditur, in il-

lo

lo deturpatæ animæ mundantur: in illo ſacrificatur Deo: verbum Dei prędicatur: in illo oratur: in illo animę medetur, quomodo Deo ſerviendum norma pręſcribitur: in illo demum anima hominum ſanctificatur: patet inſuper quid in illo ſit peragendum, ſcilicet, orandum, pęnitendum de peccatis, Sacra audienda, Sacrę conciones auſcultandę. In hoc uno loco igitur habes omne id, quod tibi non modo ad vitam mortalem inſtituendam, ut Deo ſervias, ac vivas, verum etiam quidquid ad animam tuam ſanctificandam opportunum erit, & efficax: in qua etiam vivendi methodo, ſi tibi conſilio opus fuerit proborum virorum, ſi dilucidatione clariori myſteriorum Dei, aderunt Miniſtri Eccleſiaſtici, quos ſi velis adire, benignè etiam te illi excipient, privatim erudient, ut autem ſic vitam inſtituas, ac inſtitutum proſequaris non tibi auro opus erit, nec aurata clamide: non tibi opus erit nobilitate fulgere: non enim inſuper requiretur utrumne ſis in dignitate, vel honoribus conſtitutus: ęquè ſiquidem in Templo hoc dives, & pauper, ęquè nobilis, ac ignobilis à Deo benignè excipiuntur, ęquè omnibus cujusvis ſexus, aut conditionis exiſtant, Sacramenta diſpenſantur, gratia cœleſtis infunditur, ęquè

pro

pro omnibus ſanctificandis locus iſte ab hominibus conſtructus, à Deo conſtabilitus: æquè etiam Eccleſiaſtici Miniſtri omnes benignè excipere à Deo jubentur: æquè etiam locus iſte quovis tempore patebit: nullum igitur eorum requiritur, quo carere potes, ut ſic vitam inſtituas, & inſtitutum proſequaris, hinc etiam facilè noveris, nullum eſſe ſuaviùs inſtitutum vitæ, ac faciliùs, quam illud, quo Deo vivitur, nullum eſſe utiliùs impenſum laborem, ac de præmio, & quidem æterno ſecurum, quam ille, qui Deo ſerviendo impenditur: nullumque ſervitium gratiùs eſſe, magiſque acceptum, quam quod Deo præſtamus: ſi enim eorum conditionem, qui Mundo ſerviunt examinaveris, illam primùm videbis legibus duriſſimis ſubjectam, moleſtiis aſperrimis expoſitam, de præmio ſervitutis incertiſſimam, nulla enim res Mundo incertior eſt, & ad decipiendum paratior: hic non æquè ſervientes omnes excipit, attendit namque ad ſervientium conditionem, ab nonnullis quidem vigilias moleſtiſſimas exigit, labores arduos, laborioſaque opera: ab nonnullis opes magnas exigit, quibus neceſſaria ad ſervitium aut intentum aut parentur, vel comparentur, ab nonullis autem certos nobilitatis gradus ac digni-

ta-

tatis, ab nonnullis elegantiam, ac formam corporis, ab aliis vim ætatis florentem, ab aliis animi promptitudinem negotiis ſuſcipiendis, aut tractandis, diſpares ergò tot gradus ſervientium exigit, unam tamen parem vult eſſe omnibus conditionem, incertos ſcilicet illos eſſe de præmio ſervitutis: exigit ab hoc ambitioſo, inanibus captandis aſſentationibus diù, noctuque occupato; labores immenſos, quibus ad certum onoris gradum pervenire poſſit, exigit, ut nullum induſtriæ genus prætereat, ut cautus ſit, atque ſollicitus in ſeſe oſtentando, ut vitæ amaritudines cum quadam ſimulata dulcedine libenter ferat, non tamen, his omnibus præſtitis, vult illum eſſe ſecurum de obtinendo honore, quem vehementer appetit, exigit ab hoc Avaro aſperrima tormenta vitæ propter ſpem augendi patrimonii: ut ſcilicet ſeſe emacriet, extenuetque voluntaria abſtinentia, ne Patrimonii partem vitæ ſubſtentandæ neceſſariam conſumat, poſt tamen moleſtiſſima hæc ſervitia præſtita, neque vult illum eſſe ſecurum, quod adverſis caſibus opes, quas cumulaverit, non ſubjacebunt: exigit ab illo mercatore vigilias laborioſas propter ſpem lucri, graviſſimas occupationes utilioribus ſuſcipiendis negotiationibus, ſollicitudinem

&

& ſolertiam illis tractandis, neque illum tamen probè, ac fideliter hæc adimplentem ſecurum eſſe vult, quod merces non naufragium facient, ut cætera ſimilia exempla prætercam, quæ hic referre nimis longum eſſet, quiſque enim ſe ipſo noverit ſingulos Mundo ſervientes examinando, dura, & aſpera ſervitia ab iis Mundum exigere, nulli eorum tamen ſecurum prœmium, aut dare, aut promittere: affluit nihilominus hic ſervientium numerus, & in dies augetur, licet ſervitutis onera in dies pariter augeantur, & quod illis avertendi occaſio deberet eſſe, incitamentum eſt, ad onera libentiùs ferenda, quemadmodum præceteris accidit vanis novis ſemper modis oſtentantibus ſe, novaque onera ſibi libentiùs imponentibus, nec tot exempla juvant, quibus de miſerrima eorum conditione convincentur: quinimmò, *tanto rebelles lumini qui errores ſuos veritati præferentes in iis potiùs verſari malunt, quam lucem illos redarguentem recipere.*

Sanctiſ. hom. 17. in Natali Domini.

DE

DE MOTU CORPORUM MINIMORUM

PARS PRIMA.

Digitized by Google

LECTORI:

DUM mecum ipſe opus quoddam phyſicum meditarer, quod ab ipſis humanæ cognitionis principiis exorditur, illudque in tres partes partitum haberem, in quarum prima, quomodo rerum naturalium cognitiones in homine efformentur, agebatur, in ſecunda, quomodo progreſſu temporis ab earum veritate detorqueatur, in tertia demum qua methodo totius naturæ facies humano intellectui perſpecta eſſe poterat: Prima & Secunda abſolutis (quod

italico ſermone peractum eſt,) dum in Tertiam incidiſſem in mentem venit aliqua de Motu Corporum Minimorum diſſerere, utpotè quod videbam faciliùs hac methodo, naturæ phænomena explicari poſſe, cumque multas colleggiſſem propoſitiones, atque opuſculum concinnaſſem, ejuſdem antea argumentum luci committere ſtatui, crediderim enim ſi quid prorſus inane videretur admodum parva moleſtia Lectorem affici poſſe, ſin minus ad ulteriora progrediendo ſecuriori pede incederem.

TO-

TOTIUS OPERIS

ARGUMENTUM

Præmittitur meditatio ſe-
quentium.

I. *Scribendi propoſitum.*

I. *Diſcrimen inter matheſim, & alias ſcientias.*

III. *Expetitur ab earum principiis.*

IV. *Matheſis principia ſimpliciora eſſe, quàm aliarum Scientiarum.*

V. *Quis finis habendus dum methodus ſecurior ipſis aptatur.*

VI. *Regula ſeligendæ conjecturæ certæ pro methodo.*

VII. *A ſenſibus expetenda quorum uſus prior, quàm rationis.*

VIII. *Motum eſſe certam cauſam naturæ apparentiarum, atque certum principium.*

IX. *Hunc eſſe corporis, quod eſt aliud principium.*

X. *Simpliciora verò minima corpora, & minimi motus.*

XI. *Ab ipſis inchoandum.*

Se-

SEQUUNTUR

SUPPOSITIONES;

Quibus omnibus explanationes uſu, & experientia receptæ addictæ ſunt.

I.

Corpus etiam minimum aliqua magnitudo eſt.

II.

Corpuſcula ſpharica ſunt ſpharulæ minutiſſimæ molis.

III.

Corpuſcula ſpharica indirectum poſita ſunt, quorum diametri unam rectam conſtituunt.

IV.

Quorum diametri non unam rectam efficiunt ea non ſunt indirectum diſpoſita.

V.

Unio inter corpuſcula tanta eſſe poteſt, ut unum

unum motum aliud ſecum trahat.

VI.

Omnis compoſita magnitudo ex variis corpuſculorum ſeriebus coaleſcit.

VII.

Omnis motus ex natura rei per rectam lineam perficitur, niſi ab extrinſeco detorqueatur.

VIII.

Si idem corpus mole decreſcat minor vis ad illud impellendum requiritur, major autem ſi mole augeatur.

IX.

Si mobile perpendiculariter in aliud corpus impellat, totum impulſum illi communicat.

X.

Motus continuatur per lineam ſecundum quam minus ei reſiſtitur.

X I.

Motus ex natura rei ſequitur viam directionis.

Poſtulata.

Poſtuletur. Dari corpora elaſtica, ſeu ea, quæ dum inflectuntur, ſe denuò ad priſtinam reſtituant figuram.

Corda ex inteſtinis animalium confecta; & benè tenſa.

Lamina chalybea temperata, &c.

SE-

Digitized by Google

SEQVUNTUR PROPOSITIONES PHYSICAE.

PROPOSITIO I.

Minimum Corpus minima vis impellit.

QUo demonſtrato.
Infertur quare minima vi corpus aliquod in fluido conſiſtens impulſum moveatur.

II.

Quare minima etiam vi impingatur digitus in pulverem minutiſſimum.

III.

Minima vi aerem impelli, & halitus per ipſum permeantes.

IV.

Minima vi ignis, particulas aquæ ſol-i & dimoveri.

V.

Minima vi naturam egere ad expellenda è corpora noſtro corpuſcula inſenſibilia, & ſine corporis ſenſu.

PROPOSITIO II.

Minimi corpuſculi Motum minima reſiſtentia ſiſtit.

EX demonſtratione infertur, minima reſiſtentia ſiſti poſſe motum corporis in fluido conſiſtentis impulſi ſcilicet à minima illa vi.

Minima etiam reſiſtentia ſiſti poſſe Motus halituum in aere pervolitantium.

Minima quoque reſiſtentia ſiſti motus corpuſculorum è noſtro corpore exeuntium, ſi ſcilicet tantillùm obſtruantur poroſitates, & alia id genus &c.

PROPOSITIO III.

Quævis Minima reſiſtentia habet rationem impetus ad corpus minimum denuò movendum.

EX ejus demonſtratione infertur à reſiſtentia Motus, corpus in fluido conſiſtens,

ſtens, denuò ad Motum agi.

Corpuſcula, quæ obſtructis poroſitatibus per eos canales non amplius feruntur, per alios etiam novo concepto impetu ferri, & expurgari.

PROPOSITIO IV.

Si Minimum corpus Majori vi impellatur, quàm ad ipſum ſimpliciter movendum requiritur, non omnis reſiſtentia ejus Motum ſiſtet.

INfertur ex demonſtratione aliqua ſaltem corpuſcula per corporis poroſitates foris exire, & ſi poroſitates obſtructæ ſint.

De Spiritibus item, qui volatiles dicuntur quamplurima dilucidantur, multæque illationes ad fænomenon explicationem ſeqvuntur.

PROPOSITIO V.

Si duo corpuſcula ſivè globuli ità uniantur ; ut unum moveri non poſſit abſque alio, impulſus autem potens precise ambo dimovere non fiat per lineam per eorum centra tranſeuntem , non ambo movebuntur.

ILlationes explicant naturam quorundam fluidorum, quæ ita ſuperficiebus corporum alligantur, ut per occurſum aliorum corpuſculorum non divellantur, veluti fuligines, quæ ex particulis fumi concreſcunt; Item ea quæ corporum ſuperficiebus adhęreſcunt, ut non niſi maxima vi cæterorum corpuſculorum divellantur.

Multaque ad rem Medicam pertinentia dilucidantur.

Lemma.

Si Motus, & reſiſtentia fiant per extrema linea per centrum corpuſculi tranſeuntis, ſit autem reſiſtentia major impulſu, corpuſculum non dimovebitur.

Pręmittitur ad ſequentes demonſtrationes.

PRO-

PROPOSITIO VI.

Si tria corpuſcula, ſivè globuli in directum jaceant atque ſe tangant, major autem ſit ultimi reſiſtentia, quam impulſus in primum, nullum eorum movebitur.

INde ſatis clarè infertur natura corporum ſolidorum, & qua ratione nulla eorum effluvia foris emergant.

PROPOSITIO VII.

Si tria corpuſcula non indirectum jaceant, ſit autem, & intermedium extrà lineam per eorum centra tranſeundum, ſi impulſus in primum fiat, ultimo reſiſtente, intermedium movebitur.

EVidenter colligitur, quare è corporibus non tàm benè ſolidis effluvia quamplurima exeant, quomodo item id accidat, quomodo pariter unum corpus alteri incumbens illud premat, qua item ratione corpora mollia facilius diſijciantur; &c. data occaſione quam plurima ſcitu digna enucleantur.

PRO-

PROPOSITIO VIII.

Si tria corpuſcula indirectum poſita uniantur ut major ſit impulſus in unum, quam vis unionis inter ipſa, impulſum tantum movebitur.

SUas habet illationes ad rem Phyſicam attinentes.

PROPOSITIO IX.

Si tria corpuſcula vel plura magis uniantur quam ſit impetus potens unum dimovere, nullum movebitur.

PROPOSITIO X.

Si tria vel plura corpuſcula magis uniantur, quàm ſit impetus potens omnia dimovere ſimul, unum tametſi impellatur, omnia movebuntur.

PRemittuntur ad ſequentium demonſtrationem.

PRO-

PROPOSITIO XI.

Si plura corpuſcula in plano diſpoſita uniantur, major autem ſit vis unionis inter ipſa, quàm impetus ad totum planum, ſivè corpus ex illis compactum, dimovendum, ſit autem impetus ad aliqua eorum, totum corpus movebitur.

SUpponatur autem impetum poſſe totius corporis reſiſtentiam vincere, ut & in ſequenti.

PROPOSITIO XII.

Si plura corpuſcula in plano ità uniantur ut major ſit vis impetus ad totum corpus movendum, quàm vis unionis inter ipſa, ad aliqua autem eorum ſiat impulſus, ea tantum movebuntur.

EX duabus hiſce demonſtratis propoſitionibus innumera explanantur circa corporum percuſſiones, atque ictus, qui in iis exploduntur, qua ratione nempè pro ratione virium percuſſionis, vel ictus, quandoque totum corpus, quandoque una tantum objecta pars moveatur reliquo immoto, & ſic de cæteris, & quo-

quoniam ſupra diximus corpora omnia ex corpuſculorum ſeriebus componi, quę varie diſpoſitæ tenentur, hinc etiam corporum motus omnes, qui reflexionis dicuntur, ſatis clarè concipiuntur, & explanantur.

Quæ ſequuntur explicationi accelerationis motuum gravium decidentium inſerviunt.

PROPOSITIO XIII.

Si corpuſculum aliquod, ſivè globulus motu ſuo ſpatium diviſibile percurrerit, intrà tempus etiam diviſibile percurret.

PROPOSITIO XIV.

Si corpuſculum æquabiliter moveatur per ſpatium aliquod diviſibile, eodem modo ſe habebunt partes ſpatij, ac partes temporis ipſis reſpondentes.

PROPOSITIO XV.

Si idem corpuſculum æquabili Motu ſpatia inæqualia percurrit, temporibus etiam inæqualibus percurrerit, atque majus tempus majori ſpatio, minus minori reſpondebit.

PRO-

PROPOSITIO XVI.

Si corpuſculum aliquod aliud impellat non autem immediatè illud ab initio contingat intrà majus tempus impulſus fiet, quàm ſi ab initio illud immediatùs contigiſſet.

INtelligitur verò de Motu æquabili; &c.

PROPOSITIO XVII.

Si tria corpuſcula, ità diſponantur, ut duo quavis minùs inter ſe diſtent, quàm à reliquo, impellatur iſtud impetu quo poſſit etiam ſecundum tertium dimovere, impetus ſecundi in tertium, intrà minus tempus fiet, quàm impetus primi in ſecundum.

QUibus demonſtratis. Sequitur digreſſio circa naturam; gravitatis, &c.

I.

Quomodo rerum gravitantium idea efformetur, atque unum grave ab alio diſtinguatur.

II.

Quomodo ejuſdem gravitatis viribus deorſum obſiſtatur.

III.

Quomodo pro viribus reſiſtentiæ, magis, vel minùs grave deorſum moveaur, &c.

Stabilitur denique hypotheſis corpuſculorum ex quibus aer componitur, videlicet, quod ſeries eorum non ſint indirectum diſpoſitæ, eò quia continuò ventorum, cæterorumque corporum diverberationibus ſitum immutare cogantur, pariter, quod ea corpuſcula, quæ propè terram ſunt citiùs ad ſe invicem incurrant, atque intrà minùs tempus locum advenienti gravi cedant, quibus omnibus accuratè explicatis, aliiſque præmiſſis, devenitur facilè ad conjecturam accelerationis motus &c.

DE

DE
MOTU
CORPORUM
MINIMORUM
Jn fluidis natantium.
PARS SECUNDA

SUPPOSITIONES SECVNDÆ.

Quibus pariter explanationes ità addictæ ſunt, ut nullus difficultati locus ſit.

I.

Minimum corpus, minimum grave etiam eſt.

II.

Dum grave alteri incumbit aliquam vim in illud efficit.

III.

Et minimum grave, minimam vim.

IV.

Grave nititur moveri per rectas ad centrum univerſi.

Digitized by Google

V.

Vis gravitatis deorſum poteſt aliqua reſiſtentia ſiſti.

V I.

Et eadem reſiſtentia gravitas impulſionis ſiſti poteſt.

V I I.

Compoſiti corporis gravitas ex minimis gravitatibus coaleſcit.

V I I I.

Niſus ſimpliciter corporis deorſum tendentis abſque motu extrinſecùs adveniente vocetur gravitas materiæ.

I X.

Niſus qui fit impulſione motus, vocetur gravitas impulſionis, per eandem viam.

X.

Aggregatum ex utroque vocetur gravitas compoſita.

Po-

Poſtuletur. *Dari corpora fluida, quorum corpuſculorum ſeries non in directum jaceant, inter globulos autem medient angoloſa corpuſcula, quorum angulorum verticibus ſphærulæ inſiſtentes ad motum, quàm facillimè agantur.*

II.

Fluidorum corpuſcula aliqua unione teneri, quæ facilè ſolvi poſſit.

PROPOSITIO I.

Si minimum grave minimis etiam gravitate, & mole æqualibus ſibi, & fluidum conſtituentibus, inſiſtat, non movebitur.

INfertur ex demonſtratione corpuſcula fluidorum, abſque motu extrinſecùs illis adveniente omnia librata teneri.

Infertur ſecundo, qua ratione quocumque fluidi loco fingatur eſſe corpuſculum illud, ſemper libratum erit.

PRO-

PROPOSITIO II.

Si minimum grave intrà fluidum aliquod conſtituatur, cujus corpuſcula ſint illo graviora, minimum grave movebitur.

Varia de directione motus inveſtigantur, & experientia comprobantur ad claritatem demonſtrationis concluditur debere moveri ſurſum per lineam perpendicularem, ſecluſis impedimentis.

Infertur, qua vi vapores halitus, effluviaque terreſtria per aera ſurſum ferantur, qui fiat, ut corpora, pleraque in aquam demerſa pariter ſurſum attollantur.

II.

Qui fiat, ut ſpiritus quàm maximè in hominis cerebro abundent. Quomodò natura proviſit, ut id accidat, etiam ſi corporis ſitus ſit varius, dum ſcilicet inflectitur &c.

PROPOSITIO III.

Si grave corpuſculum intrà corpuſcula illo leviora conſtituatur, & fluidum aliquod componentia, deorſum movebitur.

INfertur qua ratione corpora pleraque in aqua demergantur.

I I.

Quarè pluviæ decidant, vapores in aere ſuſtententur.

Data occaſione quamplurima de meteoris diſſeruntur, quæ jam ex demonſtratis clarè deducuntur.

Varia item ludrica ex induſtria quæ efformari poſſunt, & quæ varios in fluido motus edant proponuntur.

PROPOSITIO IV.

Si corpuſculum aliquod influido quieſcens; aliqua vi deorſum pellatur eò movebitur.

EX occaſione explicatur quomodo impetus extrinſecùs adveniens corpori ſenſim deperdatur, dum verò liberè decidit augeatur.

Inferuntur quamplurima ſcilicet quod poſſit corpus etiam leve in aquam mergi, vapores item in aere quieſcentes ad terræ ſuperficiem rurſus moveri, ſpiritus, qui in capite conſiſtunt per totum divergi corpus.

PROPOSITIO V.

Si corpuſculum aliquod intrà fluidum conſiſtens dum vi gravitatis ſuæ deorſum movetur, ab alio lateraliter præmatur, ità ut impetus, major ſit niſu ejus gravitatis materiæ, ad latera tunc movebitur.

INfertur, quare corpuſcula quædam quę in fluidis deorſum moverentur, à prę-concepto lateraliter impetu, lateraliter mo-

moveantur, & ſic concludi, vaporum, & pluviarum motus non ſemper fieri per rectas ad centrum terræ, ſed lateraliter &c.

PROPOSITIO VI.

Si corpuſculum aliquod intrà fluidum conſtituatur, niſus verò ejus gravitatis materiæ major ſit quam impulſus ad latera, deorſum movebitur.

QUamplurima inferuntur circa fluidorum motum, præcipuè verò quare ſanguinis motus tardior evadere poſſit, cum ſcilicet intra ipſum aeris inſpiratione corpuſcula graviora inſinuantur, atque hinc fieri, quod totum corpus variè afficiatur, eò quòd ſcilicet ſpirituum motus turbetur, etc.

Omnia figura expreſſa ſunt.

Eſt igitur methodus hæc, qua progreditur.

FINIS.

A01 1467798

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BI
X